Q. D. B. V.

HISTORIA HALBER-STADIENSIS AB ORIGINIBUS

Per ſingulos

EPISCOPOS

Ad præſentem ſtatum repetita.

PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO

HIST. P. P. O.

PROPONIT

GEORGIUS HERMANNUS

Feuerbaum/Halberſtad.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

JENÆ.
TYPIS GOLLNERIANIS.
ↀ Iↄ IↄcLXXV.

ILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO

DN. LVDOLPHO PHILIPPO

ab et in Lüderitz

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECT. BRANDENB: AVLÆ CAMERÆQVE CONSILIARIO SPECTATISSIMO PRÆTORI INEGELN AMPLISSIMO, REDITVVMQVE DVCATVS HALBERSTADENSIS DIRECTORI SVMMO

Vt&

ADMODVM REVERENDIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS AC MAXIME STRENVIS DOMINIS

DNN. DECANO
SENIORI
SUBSENIORI
ASSESSORIBUS RELIQVIS

COLLEGIATÆ ECCLESIÆ B.M. VIRG: HALBERSTADENSIS

Dominis Mecenatibus, Patronis ac Promotoribus ſuis, ſubjectione, ſtudiis ac omni officiorum genere æviternum proſequendis ac ſuſpiciendis.

Hanc Patriæ Hiſtoriam humillime

D. D. D.

GEORG. HERM. Feuerbaum/
SS. Theol. Stud. Halberſt. Saxo.

IN NOMINE JESU!

§. I.

HIſtoriam Epiſcopatus Oſterwici per Carolum Magnum conditi, brevi poſt tranſlati Halberſtadium, Haimonis aliorumque Præſulum doctrina & virtutibus, poſt aliquorum armis, reſtituta item ſuperiori ſeculo luce Evangelica, illuſtrati, præſenti ævo bello tricennali Germanico variis implicitì difficultatibus, ac demum in Ducatum mutati, præſenti Schediaſmate tradere animus. Cœptis gratiam adſpiret Deus, ac nos in omnem ducat veritatem.

§. II. Guilielmum Budæum, Doctorem Medicum, Archiatrum Brunſwico-Luneburgenſem, Halberſtadenſis Epiſcopæ ac civitatis Phyſicum, virum doctum, dignumque Neandro diſcipulum, *Chronologiam Epiſcoporum Halberſtadenſium* contexuiſſe memorant. Hæc ab Henrico Meibomio ſcriptis publicis, nuper etiam ab Illuſtri Conringio per epiſtolam laudata, conſpectum hactenus fugit noſtrum. Quamvis an integrum prodierit opus, vel idcirco dubites, quod Viro ſupra occupationes, impedimenta alia, & fortasſis etiam nimiæ accurationis ſtudium multa cœpta, pauciora reliquerit perfecta. Habemus id a Cl. Madero, vel laudati Conringii judicio, *talium curioſisſimo indagatore*, & infra Alberti II. hiſtoria planum faciet.

§. III. Johannes Winnigſtadius, Auguſtiniani Ordinis ad S. Johannem prope Halberſtadium monachus, poſtea Quedlinburgi San-Blaſianus Paſtor orthodoxus,

Chronicon Epiſcoporum Halberſtadenſium vernaculo ſcripſit idiomate. Id a recentiore quodam emendatum auctumque ad noſtras quia pervenit manus, cujus ſit commatis, patebit in ſequentibus.

§. IV. Georgii Torquati Mss. *Annales Halberſtadenſes* Magdeburgenſibus juncti ac toties laudati a Meibomio, nondum in noſtram venere poteſtatem.

§. V. Alberti Krantzii Hamburgenſis Canonici in *Metropoli* ſtudium plane non contemnendum licet, plerumque tamen exile ac frigidum a nobis deprehenſum.

§. VI. Majus Melchioris Neoſanii, Petrini apud Brunſwicenſes Eccleſiaſtæ; modo non *Catalogum Epiſcoporum ac rerum ab iis eorumque ſub regimine geſtarum ſeriem* carmine heroïco complexus: quæ res ut ad delectandum aptior, ita ad docendum non æque ſemper videtur commoda.

§. VII. Supra hos ad univerſam Præſulatus Halberſtadenſis hiſtoriam continentium præſidiorum nihil. Nam quæ ſigillatim obvenere, ſuo quæque loco proferentur. Nunc ad origines Epiſcopatus, quas Carolo M. tributas communis tot ſeculorum conſenſu firmata fert opinio.

§. IIX. Scilicet Carolum M. in debellandis Saxonibus occupatum, anno ſeculi octavi octogeſimo, Oſterwici, cui loco nomen Selingſtadii adhæſit, novum templum memoriæ S. Stephani dicaſſe, eidemque Hildegrinum præfeciſſe referunt.

§. IX. Oſterwicum ad Ilſam fluvium ex præcipuis Halberſtadenſis ditionis oppidum, vel ipſo nomine antiquitatem prodit: utraque enim, ex qua coaluit, vocula veteribus Germanis frequenter uſurpata, prima ad orientem, altera ad ſinum fluvii ſitum arguunt.

§. X. De Selingſtadio difficultas major. Cognitus nobis alius nominis ejusdem locus priſtini vocabuli Mülenheim/ quem Ludovicum Pium Einharto, ob ſororem Immam (ſi fabula vera) affini contuliſſe ferunt. Neque tamen omnis abroganda videtur fides vulgaribus Chronicographis,

phis,& qui hos ſeqvuntur cum judicio hiſtorico ſcribentibus junioribus; quamvis nonnunquam falſa, aut incomperta ſaltim,admiſcuerint.

§. XI. Examinabimus Chronici Saxonici a Johanne Pomario cultius editi, a Matthæo Dreſſero interpolati continuatique verba, bona fide ex Germanis verſa: *Poſtquam Rex Carolus in Orientalem Saxoniam venit, exſtruxit Dominicam Salingſtadii, quod nunc Oſtervvick vocatur,& faciebat Dominicam conſecrari in honorem S. Stephani, & S. Hildegrinum,qui S. Ludero frater erat, Epiſcopum conſtituit.*

§. XII. Orientalis Saxonia (Oſt Sachſen) recte vocatur illa regio, qua in locum accepiſſe dicitur templum Carolli M. novum: antiquisſimis temporibus magis tamen uſurpatam crediderimus Oſtphaliæ denominationem,ad Weſtphalorum differentiam.

§. XIII. Hanc in rem Andreas Althammerus ad Tacitum Commentariis: *Ipſa Weſtphalia veteris Saxoniæ pars ſic appellata,quod occidentalis ſit. Nam qui ultra Viſurgim fluvium orientalem plagam occupant, Oſtvali Saxones cognominantur, ab Ooſt vento orientali. Ætas id nominis abolevit. Sic Weſtphali,qui citra Viſurgim verſus occaſum habitant ab Weſt occiduo vento nuncupantur.* Et Reinerus Reineccius Auctario rerum Miſnicarum ab Elia Reuſnero in Latium translato,de origine Miſenorum: *Hoc Weſtphalorum nomen manſit ex veteri diviſione,qua Saxones juxta Veſeræ curſum ſemetipſos diſcriminarunt. Nam qui ab Albi ad Veſeram usque conſedere, Oſtvalos ſe ſua lingua nominarunt: reliqui qui ad Rhenum usque ſe dilatarunt Weſtphalos.*

§. XIV. Oſterwicum Selingſtadio recentius, haud immerito dubitamus,& forte aſſentientur nobis, qui prima *Hiſtoriæ Bardevvicenſis* conſideraverint. Si conjecturæ locus, a translato Eccleſiæ cathedralis decore,nomen novum præ reſumto veteri, non tantopere frequentatum videtur, Neque tamen de eo contentionis ſerram cum quoquam reciprocare animus.

§. XV. Honori Protomartyris(Stephani,nec ſolius tamen, ſed CHRISTI præcipue) conditam Eccleſiam, eidemque

deinque Epiſcopum HILDEGRINVM a Carolo M. præfectum, Ludoviciani diplomatis ſequentia verba arguunt: *Notum ſit omnium fidelium noſtrorum induſtria, præſentium ſcilicet & futurorum, quia Hildegrinus Catholanenſis, Eccleſiæ Halberſtadenſis Epiſcopus venerabilis, quæ eſt conſtructa in honorem Chriſti, ſuique Protomartyris Stephani ſuper fluvium Holtemna, in pago HARTINGOWE, cujus parochia pii patris noſtri, Caroli Imperatoris Auguſti ſtatuta & determinata eſt his pagis, DARLINGOWE & NORTTHVRINGOWE & BELKESHEIM, HARTINGOWE, SVAVIA & HASIGOWE, veniens ad nos detulit nobis emunitates ſancti genitoris noſtri, pie ſemper memorandi, in quibus continebatur, quomodo ipſam ſedem ſub planiſſima defenſione & emunitatis tuitione ſemper habuiſſet.*

§. XVI. Quod hæc genuinas Præſulatus Halberſtadenſis origines complectantur, eo ſunt conſideranda attentius. Carolum M. Epiſcopatus conditorem faciunt. Non alio fine ſtatuta ac determinata parochia certis pagis, quam illorum ut limitibus circumſcriberetur ſacra Halberſtadenſis jurisdictio. Vide igitur quam confidenter nimis ſcripſerit Joh. Gryphiander, Vir alioqui eruditus ac vel propterea æſtimandus, quod inter Profeſſores Hiſtoriarum in hac Salana numeretur. *Magis veriſimile eſt*, inquit, *a Carolo M. ne unum quidem Epiſcopatum in Saxonia conditum eſſe, ac ne condi quidem potuiſſe, ſtatu & conditione populi effrenis & indomiti adhuc id non permittente.* Plura in hæc Gryphiandri ſtudio veri dicenda eſſent, niſi iam dicta in *Hiſtoria Bardevvicenſi* cap. III. §. XXIV, & ſeqq.

§. XVII. Sed de Translatione Epiſcopatus ex his ne γρῦ exſculpas: quam uti non negamus, ita ſuſpecta nobis ſemper viſa, quæ de Hildegrino, ne templum Selingſtadenſe, ſive, exornaret, ſive noviter conſtrueret, ſed ſedem transferret Halberſtadium, per angelum monito circumferuntur. Habet ea Krantzius Metrop. lib. I. c. III. quæ ita ſonant: *Hildegrinus Pontifex, quum diu præfuiſſet Eccleſiæ, auctus rebus & populo, illuſtrius Deo templum cogitavit erigere. Hac dum cogitatione torqueretur, monitus eſt ab Angelo, alium eſ-*

ſe

ſe Deo placidiorem locum, quo novum templum erigeret & conſecraret, monſtravitque Halberſtadium populo frequentiorem locum. Ibi tum Pontifex conſtituto templo ac conſecrato, ſedem eſſe ſuam conſtituit.

§. XIIX. Sed quicquid ſit de eo, qvum jam Carolus M. Epiſcopatus conditor ſit certus, nunc de Epocha tam conditi quam translati Epiſcopatus; poſt de nova ſede Halberſtadio; tum de finibus Epiſcopæ; ac demum de Epiſcoporum primo agemus.

§. XIX. Annum octogeſimum ab ſeptingenteſimo pleriq; pro conditi Epiſcopatus termino ſtatuunt, idque niſi aliis, Ditmaro tamen (cujus contextum poſtea laudabimus) maxime erit exſculpendum. Miramur autem non immerito Annalium Francorum ſcriptores rem tam memorabilem prætermiſiſſe. Nihil enim eo anno reperias magis, quam Carolo, compoſitis per Weſtphaliam rebus, ad Orientales Saxones progreſſo, eorum non contemnendam manum Chriſtianiſmo per ſanctum lavacrum dediſſe nomen. Locus Baptiſmo deſtinatus in Eginharti Annalibus vocatur *Orheim*: quem præfecturæ Slademenſis in Ducatu Brunſvicenſi, Wolffenbüttelium inter & Goslariam viculum, hodie Orheim ſive Horm dictum, ex Georgii Torquati Chronico Magdeburgenſi MS. obſervat Henricus Meibomius: uti hæc, & alia *Bardevvicenſis Hiſtoria* recenſuit cap. III. §. XVI. Jam quia abhinc non multum diſtat Oſterwicum, facile hic loci in Saxonicæ converſionis memoriam Carolus potuit condere ædem ſacram, cujus per Epiſcopalem honorem auctum decus, Halberſtadium poſtmodo translatum.

§. XX. Neque omnibus tamen rotundus anni octogeſimi placuit numerus: ſiquidem Wernerus Rolevinck lib. II. *de Laudibus Weſtphalorum* cap. *IIX.* ſequentem; Mindenſe autem Chronicon, a Meibomio Hermanni Lerbecii *Chronico Comitum Schavvenburgenſium* juncto, annum habet IↃCCLXXVII. Hujus ſi quis forte verborum contextum deſiderat, non invidebimus. *Secunda Eccleſia Oſtervvick, qua prius* Sellingſtede *dicebatur, anno Chriſti* IↃCCLXXVII. *fundata eſt:*

qua

quæ poſt annos XL. *ſcilicet anno* IↃCCCIX. *translata eſt in* Halberſtadt.

§. XXI. At vero hæc procul dubio in mendo cubant, cum annus nonus ſupra octingenteſimum, quo translatio facta traditur, ab anno ſuperioris ſeculi ſeptimo & ſeptuageſimo non ſit quadrageſimus, ſed ſecundus & trigeſimus. Qvod ſi autem translatio demum poſt annos quadraginta contigit, non Carolum (qvem anno IↃ CC CXIV. Aquisgrani deceſſiſſe certum) ſed Ludovicum habuiſſet auctorem. Hoc etſi junioribus nonnullis placet, minus tamen iis diploma videtur favere.

§. XXII. Sic igitur in his obſcuris ſentimus, Carolum M. non modo Oſterwici octogeſimo ſeculi octavi anno condidiſſe templum, ſed aliud magnificentius Epiſcopali faſtigio ornatum, ſive exeunte laudato, ſive ſeculo proximo ineunte, Halberſtadii fundaſſe, ac amplisſima diœceſi non minus, quam luculentis privilegiis beaſſe.

§. XXIII. Ipſum nunc aggrediamur Halberſtadium, quod ad fluvium *Holtemnam* in pago *Hartingovve* ſitum refert Ludovici diploma. Holtemna fluvius, vel hodie antiqui nominis (Holtemme) retinens, ex Meliboco monte, quem male Bructerum appellant vulgo, ſcaturiens, Dernburgum, & alia quædam ignobilia loca alluit, donec ad Halberſtadium ac magis Asbegæ aliorumque rivulorum acceſſu ad Nienhagium haud procul Gröninga in Bodam ſe exonerat. Ipſum auctus cum fluvio ſuo Halberſtadium in pago *Hartingovve* a Ludovico collocatum, in memoriam nobis revocat Germaniæ veteris in pagos diviſionem cap. I. *Hiſtoria Bardevvicenſis* copioſe illuſtratam: ut haud ſit neceſſum, exin nonnulla deſcribere: niſi forte Aventino, Althammero, Beuthero, Cluverio, Frehero, Lindebrogio, Meibomio, Reineccio, Winckelmanno addi poſtules Andream Knichen Jureconſultum celebrem & Germanicæ antiquitatis non ignarum *de Territorii jure cap. IV.* ubi §. CXCI. memorat M. Quirinum Thalman Cos. Iſenacenſem ex diplomatis Ottonianis catalogum pagorum excerpſiſſe, ſibiq; tradi-

tradidiſſe. Etiam nonnulla hujus argumenti monuiſſe deprehendimus Johannem Schefferum Philologorum ætatis noſtræ principem cap. IV. *Lapponiæ.*

§. XXIV. Ceterum pagus noſter *Hartingovve*, procul omni dubio ab Hartzica ſylva habet nomen, quæ longe lateque ſe extendens, ſuccedentibus temporibus exciſa, urbes vicosque admiſit. Qvam late pagus hic patuerit ex obſervationibus Meibomianis *de pagis Saxoniæ*, opuſculis avi Hiſtoricis a Cl. nepote Meibomio illatis patet, quæ *Gröningam, Wolferſtetum, Oſchersleblum, Vplingam*, aliaque huic pago computata docent.

§. XXV. De nomine ipſo Halberſtadii ſi quæras, tria inveniuntur originum capita, quorum prius ad Albim & Oram confluentes; alterum ad Albertum quendam conditorem; tertium ad magnitudinem dimidiatam reſpiciunt.

§. XXVI. Prioris ſententiæ Auctor Petrus Bertius *Commentar. Rerum Germanicarum* lib. III quæ manifeſti erroris. Namque Ora plusquam ſex milliaribus Halberſtadio diſtans, ſupra Kalfordam Brunſwicenſe oppidulum oriens, tactis novo veterique Hallenslebio, ad Wolmerſtadium in Albim excurrit, cum quibus Halberſtadio nihil commercii. Fortean erroris fons vulgatam conditi Epiſcopatus ſapit æram. Quandoquidem enim Eginhartus Carolum anno octogeſimo & ſeptingenteſimo *ad Albiam profectum caſtra in eo loco, ubi Ora & Albis confluunt, ad habenda ſtativa collocaſſe*; Regino, *ad locum, ubi Hora confluit in Albiam, perveniſſe* memorant: ſuſpicatus forte Bertius, ac ſi is eſſet locus, ubi Epiſcopatus ſedem ſtatuerit Rex Francus. Non tam longe abiiſſet a vero, ſi Halberſtadium ad Asbegæ & Holtemmæ confluxum collocaſſet.

§. XXVII. Dreſſerus ex Halberſtadio facit *Albertiſtadium*, ac ſi unquam Albertum habuiſſet conditorem. Si id eſt, non certe eadem, qua dixit, facilitate demonſtrabit hunc Albertum. In Epiſcoporum ordine non habuiſſe locum exiſtimamus certisſimum. Neque enim ante quartumdecimum ſalutis renovatæ ſeculum Albertos Halberſtadium

accepit, alterum Anhaltinum Comitem, alterum Ducem Brunſvicenſem, ſibi invicem ſuccedentes; quo tempore maxime famoſum jam erat nomen Halberſtadii.

§. XXIIX. Quamobrem optime in his ſenſiſſe videtur Johannes Angelius Werdenhagen *de Rebuspublicis Hanſeaticis* part. III. cap. VI. Halberſtadium quaſi Hemipolin putans dictum: *quod vix* (ut habent ejus verba) *dimidiatam in exacta ædificatione obtinuerit partem, quam primitus concepta erat.* Cetera quæ addit ſcriptor, vix merentur fidem, dum rudera deſignationis ad orientem verſus Harslebium & Quedlinburgum collocat, quæ tamen in contraria occidentis plaga, qua Sarcſtadium itur, apparent: neque cum vero conſentiunt, quæ de minori Quenſtadio memorat.

§. XXIX. Tantum de nomine. De finibus Epiſcopatui a Carolo præſcriptis porro diſpiciendum. Hi ſunt præter pagi *Hartingovve* limites pagorum *Darlingovve*, *Norththuringovve*, *Belkesheim*, *Svavia* & *Haſigovve*. In ſingulos pagos inquiremus.

§. XXX. DARLINGOW, procul dubio nomen accepit a Darlingis ſive Derlingis populis, quorum meminit Rudolfi Epiſcopi Halberſtadenſis diploma anno CIↃ CXLV. datum. Sed quinam illi ſint Derlingi quis docuerit? An qui in Dromlingos abiere? Celebres nempe ſunt vel hodie agreſtes Drömlingenſes, ſylvam & paluſtria Drömlingana incolentes. Si Hebeshemii ſitus paulo accuratius eſſet perſpectus, certiora hic poſſent afferri. Namque curtim Hebesheim in Ottonis III. diplomate pago huic aſſignatam Meiboniana eruit induſtria. Sed forte Magdeburgo propior hic pagus, quam ut ad Drömlingenſes abeundum. Nam diplomate quodam ab Ottone Imp. Mamaconi Comiti donantur nonnulla *in pagis Derlingen & Nortduringen.* ac poſtea his pagis aſſignantur ſequentia loca: *Veltheim*, *Heſſenheim*, *Arnlaldesheim*, *Bernsherdeſtorp*, *Cugelinge*, *Echeim*, *Drongelevo*, *Haldesleve*, *Valdorf*: in quibus *Drongeleve* procul dubio eſt Dreyleben/ quod vel a pago *Darlingovv* accipere, vel ipſi pago nomen dare potuerit.

§. XXXI NORTTHVRINGOVIÆ Pagus etſi nondum forte in vulgus, nobis tamen non modo ex Meibomianis & Conringianis obſervationibus, ſed etiam ex lectione veterum & inſpectione diplomatum notus, & a politioribus ſcriptoribus Septentrionalis Thuringia ſolet appellari. Hic paucis liceat indicare, Torquatum Annalium Magdeburg. & Halberſt. MSS. part: I. lib. II. cap. VI. ſcribere, *omnem terram illam, quæ inter Herciniam, Salam, Albim, imo ultra quoque Brandenburgum, usque ad Haveli ripas & Ducatum Brunſvicenſem ſeu Alarim amnem, pagum Nortthuringorum dictum.* Guil. Budæus tamen, Meibomio teſte, non niſi Albis, Bodæ, & Ohræ fluviorum circumſcribit ambitu. Compluſcula loca hujus pagi alphabetica ſerie recenſuit Meibomius, quæ magnam partem debere credo excerptis diplomatum a diligentisſimo horum ſcrutatore Marco Wagnero allatis commentatiuncula Germanica, qua Thuringiam veterem in pagos diſtributam declarat.

§. XXXII. De pago BELKESHEIM, qui a Meibomio omisſus, plane dubium quid dicendum, perinde ac de SVAVIA: Nam etſi Schladenſis comitatus ambitum id habuiſſe nominis conjicimus, non omnibus tamen æque probabile videbitur fortasſis.

§. XXXIII. De Pago HASIGOWE auſcultabimus Conringium libello eleganti *de antiquo Helmſtadii ſtatu* disſerentem pag. LXXV. *Pagus Hasſia indubie nomen accepit ab eo, qui etiamnum Heſſen audit, arce principali inſignis: ſolet enim etiam ſcribi Heſſengou, eoque diverſus plane pagus fuit ab eo, qui in tabulis fundationis Archiepiſcopatus Magdeb. Hosgou uſurpatur.* Hæc autem fuerat opinio Cl. Meibomii, qui limites hujus pagi ex eodem diplomate notat Salam, Willerbach & Wippram fluvios.

§. XXXIV. Quandoquidem igitur pagorum veteris Germaniæ hiſtoria profundis immerſa tenebris, laboris non exigui erit limites Epiſcopat⁹ noſtri exacte definire. Interim Gvilielmus Budæus Diſcurſu hiſtorico de bellis & motibus Epiſcopatus Halberſtadenſis a tempore fundationis ad annum

Chriſti nongenteſimum, inſerto Winnigſtadii MS. pag. IV. diœceſi Halberſtadenſi primum addictum tradit territorium omne, quod hodie Archiepiſcopatū Magdeburgenſem, Epiſcopatum Numburgenſem, Ducatum Brunſvvicenſem, Principatum Anhaltinum, Palatinatum Saxoniæ Sömmerſenburgenſem, totam veterem Marchiam, Comitatus & Dynaſtias Aſcanienſem, Mansfeldenſem, Stolbergenſem, Regenſteinianum, Blanckenburgenſem, Quedlinburgenſem, Falckenſteinianum, Wernigerodanum, Bernburgenſem, Ballenſtedenſem, Arnſteinianum, Biſenrodanum, Querfurtenſem, Clettenbergenſem, Amfurtanum, Schermeckanum, Hadmerslebienſem, Hackebornenſem, Warbergenſem, & ſummatim quæ inter Ockeram, Salam, & Vnſtrutum ſita. Elegans autem ejusdem Scriptoris obſervatio pag. VI. laudati MS. qua Carolum M. anno ↄↄCCCIV. diplomate ex palatio Saltzenſi XV. Maji dato fines diœceſeos Halberſtadenſis a condito novo Hildesheimenſi Epiſcopatu contraxiſſe aſſerit. Et forte illi ſunt ipſi, quos Budæus mox enumerat hunc in modum: *Albis, Sala, Vnſtrutum, Foſſa ad Grenam, juga Hartzica, Ockera, Schuntera, Daſaneck, Druchterbecke, Allera, Ysa, Lacus Winthingenſis in ditione Luneburgenſi, Ohra, Milda ac iterum Albis.* In quibus etſi nobis videntur obſcura quædam, maluimus tamen ipſa Auctoris verba, quam conjecturas noſtras adſcribere.

I. §. XXXV. Nunc miſſis pro tempore antiquisſimis diœceſeos finibus, ad primum Epiſcoporum pergimus, cui HILDEGRINO nomen fuiſſe tam ex diplomate, quam Ditmaro Merspurg. clarum. Atque idem Ditmarus docet, fratrem Ludgero fuiſſe Friſio: quem prima Chriſtianæ religionis fundamenta his in terris poſuiſſe, ac poſtea Monaſterienſibus primi Epiſcopi titulo præfuiſſe, ſatis ſuperque cognitum. Sicut autem Ludgerus aliquot vitæ præcones, ac poſt quatuor alios, Johannem Cincinnium Lippienſem nactus, ita nec Hildegrino ejusmodi ſcriptor defuit, a Meibomio aliquoties citatus, nobis tamen hactenus inviſus. Winnigſtadius a Gregorio Trajectenſium Epiſcopo educatum,

tum, a fratre Ludgero adi Carolum ex Caſſinenſi monaſterio miſſum, ab eodem Epiſcopum Catelaunis datum aſſerit. Inde Oſterwicum, ac poſt Halberſtadium traductus, haud exiguum temporis ſpacium Præſulatum tenuit: ſiquidem non ſolum omnem reliquam Caroli M. vitam, ſed etiam aliquot Ludovici Pii ſuperavit annos, a quo confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Halberſtadenſis eodem, quo Parens Carolus exceſſit anno, locupletisſime impetravit: quod ſatis ſuperque docet Diploma manu annuloque Imperatoris firmatum. Quia venerandæ antiquitatis monumentum ſingulare, operæ pretium videtur ipſum afferre decretum. *Quia Hildegrinus Catholanenſis Eccleſiæ Halberſtadenſis Epiſcopus venerabilis --- veniens ad nos detulit nobis emunitates ſancti Genitoris noſtri pie ſemper memorandi, in quibus continebatur quomodo ipſam ſedem ſub plenisſima defenſione & emunitatis tuitione ſemper habuiſſet, pro firmitatis namque ſtudio petivit nos idem præfatus Epiſcopus, ut ei denuo ſimilia pro mercedis noſtræ augmento concedere & confirmare debeamus. Cujus petitioni pro divino amore aſſenſimus, & ita in omnibus, quæ juſte & rationabiliter petiit, per hanc noſtram autoritatem ſtuduimus confirmare. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, nec quislibet ex judiciaria poteſtate, ſeu aliquis ex fidelibus, ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac noſtris, in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas posſesſiones, quas moderno tempore juſte & rationabiliter posſidere videtur, in quibuslibet pagis & territoriis ſitas, vel quicquid deinceps etiam propter amorem divinum collatum eſt, & ad cauſas audiendas vel ſeoda* (freda) *exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos, quam ſervos injuſte diſtringendos, aut ullas redhibitiones vel villicatus occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi vel exactare præſumat. Inſuper etiam præſcriptorum incolas omnes pagorum præfatæ Eccleſiæ decimas ſuas fideliter perſolvere pro divino amore jubemus, & donamus, ut omnibus temporibus in alimoniam pauperum, & ſtipendia ſervorum Dei ibidem Deo familiantium proficiant in augmentum, quatenus ipſis ſervis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge proleque noſtra & pro ſtabilitate totius imperii noſtri a Deo nobis conceſſi & conſervandi jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Prædictam vero Parochiam illius circumquaque per diverſos pa-*

goſ ſitam nemo fidelium noſtrorum ei exinde aliquid abſtrahere aut prohibere præſumat, quin ei liceat per hanc noſtram autoritatem verbum prædicationis Domino auxiliante exercere & miniſterium ſuum plene peragere & ut auctoritas hæc noſtris futuriſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum IIII. Nonas Sept. Anno incarnationis Domini. DCCCXIIII. Indict. VIII. Anno primo imperii noſtri. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine Amen.

§. XXXVI. Hoc ipſiſſimum eſt diploma Ludovici, de cujus fide tanto minus ambigendum, quanto magis illorum temporum ſtylo publico reſpondet. Jam illud examinare, & in ſingula jura ac immunitatum prærogativas inquirere, noſtrum non eſt, & forte hiſtoricum transſcendit munus.

§. XXXVII. Emortualem annum Hildegrini conſignavit Ditmarus, cui etiam annorum, quibus pedum tenuit paſtorale, debemus conſignationem. Nam de Marquardi monachi viſione ad Rudolphum quoque pertinente, inquit: *Ambo hi fuerant monachi in monaſterio Confeſſoris prædicti, qui locum hunc Helmenſtad vocatum pro pietate ſua conſtruxit, tempore Caroli Imperatoris Magni, frater Hildegrini Catelavenſis Epiſcopi ſanctæque Halberſtadenſis Eccleſiæ rectoris primi, quam tenuit* XL. *&* VII. *annos, diſcedens ab hoc ſeculo regnante tunc Ludovico Imperatore Pio, Dominicæ In-*
827. *carnationis DCCCXXVII. anno.* Diem mortis Winnigſtadius deſignat XIX. Junii, qui etiam Werdeni ad latus fratris Ludgeri ſepultum tradit. Conferatur Krantz. *Metrop.* lib. I. c. V.

II. §. XXXIIX. Hildegrinum hunc ſequitur THIAGRINUS, a quo non eſt alius, quem Tiagrium dixit Tritthemius; utut diſtinguant Centuriatores Magd. cent. IX. c X. Letznerus in *Chronico* Corbejenſis ad Viſurgim monaſterii a Ludovico Pio conditi alumnum, Hildegrini ex fratre nepotem tradit, de quo
840. dubitat Krantzius *Metrop.* lib. I. c. XXVI. VIII. Febr anno DCCCXL. exſpiraſſe, ac in Werdinenſi item cœnobio conditum invenimus.

III. §. XXXIX. A Thiagrini obitu Ludovicus Rex Germaniæ Epiſcopum conſtituit HAIMONEM ſive *Hemmonem* (ut Annal. Fuld. appellant,) ex Anglo-Saxonum gente, *Venerabilis*

Beda

Bedæ, non fratrem ſed conſanguineum, uti loquuntur Balæus & Pitſeus *de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus*: qui & eundem *Dioniſtanum* vocant. Hic Flaccum Alcuinum Præceptorem Caroli M. ac poſtea ſanctiorem Senatorem Conſiliarium ex Anglia Turonas in Galliam ſecutus, hinc cœnobii Fuldenſis prænobili ſcholæ, atque ex hac Hersfeldenſi viciniæ pariter haut incelebri monachus & magiſter datus, non vero Abbas Hersfeldenſis (quod merito in Tritthemio, quem ſequitur tamen Pitſeus, reprehendunt Chriſtophorus Browerus *Fuldenſium Antiquitatum* lib. I. c. XIII. & Gerardus Joh. Voſſius *de Hiſtoricis Latinis* lib. II. cap. XXXV.) ſumma pietate, virtute ac doctrina excelluit: ut merito de eo canat Neoſanius vates:

Exemplum pietatis erat ſtudioque dicatus
Aſſidue, ſacro ſacros longo ordine libros
Edidit & ſcholiis divina volumina doctis
Liquit adaucta.

Scilicet in univerſam S. Scripturam luculenta ſcripſit commentaria, quæ certis tomis digeſta an lucem viderint ſingula, nondum compertum. *Commentaria in Pſalmos* (quibus, juxta Eraſmi cenſuram, *mira brevitate & ſimplicitate & perſpicuitate uſus*) in *Prophetas omnes*, in *epiſtolas Paulinas*, in *Apocalypſin* ſeparatim edita novimus; jamque hæc commentantibus præter *Homilias in Evangelia Dominicalia* & *de Sanctis quibusdam* præcipuis, Coloniæ anno CIƆ IƆ XXXI. excuſas, ad manus eſt *in Paulinas Epiſtolas Expoſitio* Argentorati anno CIƆ IƆ XIX. typis exſcripta, quam Hieronymus Gebvillerius hoc tetraſticho commendat lectori:

Myſtica divini pernoſcere dogmata Pauli
Qui cupit, hunc librum comparet atque legat.
Hactenus obſcuri ſenſus & enigmata quæque
Luce magis clara hic nunc reſoluta patent.

Ottomarus Luſcinius Pontificii juris Doctor, epiſtola ad Sixtum Hermannum Parochum D. Thomæ Argentoratenſem Kal. Decembr. anno CIƆ IƆ XIIX. ita: *Commodum nobis Haimonem tua opera ſuppeditaſti, qui Pauli Apoſtoli verba, ſeu malis cum divo Hieronymo tonitrua dicere, ea diligentia metitur, ea trutina expendit,*

ea

ea facilitate aperit, ut ſi etiam nonnihil ei defuiſſe videatur (quis eſt enim, qui in re tam immenſa non alicubi vacillet?) ſedulitatem tamen & ſummam diligentiam defuiſſe homini haudquaquam dicere queas. De Homiliis, quas Nicolaus Herborn Ord. Min. Regularum obſervantiæ, per provinciam Colonienſem miniſter, ex Arnemenſi Gelriæ monaſterio allatas Petro Quentelio excudendas dedit, lectorem inter alia ſic affatur Chalcographus: *Eſt vel doctiſſimorum quorumque judicio plane dignus hic autor, quem ſtudioſiſſime legant, nunquam e manibus extorqueri ſibi ſinant, quotquot ad veterem illam ſolidamque & nunquam ſatis laudatam Theologiam adſpirant, cujus quum in omnibus doctiſſimi hujus atque catholici viri monumentis, tum in his præcipue homiliis ceu opulentiſſimum quoddam copiæ cornu continetur.* Exſtat præterea Haimonis noſtri *de memoria rerum Chriſtianarum* aureolus commentariolus, in libellos decem diviſus, quem poſt Colonienſem, Romanam, cum notis Petri Galeſini, & Boxhornianam editiones, anno abhinc quarto ſub vero *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* elogio Helmſtadii publicavit Vir ad juvandam hiſtoriam natus Joach. Joh. Maderus. In reliquis Haimonis operibus recenſendis diligentem præcipue Pitſeum; atque adeo Honorium, Sigebertum, Tritthemium, Balæum, Centuriatores Magd. (qui & nævos quosdam annotarunt) Miræum, Voſſium, Labbæum deprehendimus ſupergreſſum. Quod autem Haimo tam egregia præſtaret eruditione, teſte Winnigſtadio, Eccleſiam Halberſtadenſem eleganti exornavit Bibliotheca, ac ut in ea totus vacare poſſet ſtudiis, omnes curas ſeculares demandavit antiquæ virtutis & fidei, quem Hersfeldia ſecum adduxerat, viro, qui a ſtructa quadam villa Hoym, ſic ab Epiſcopo nuncupata, cognomen cum progenie ſua traxerit, conditor exiſtens nobilisſimæ Hoymiorum familiæ, per Principatum Anhaltinum & alibi florentis. Anno
842. Iↄ ccc XLII. Haymo cœnobium S. Wiperti I. Abbatis Hersfeldenſis ſuper Bodam fluvium ſtudiis Theologicis, ac hoſpitio ejecti ex Fuldenſi Monaſterio Abbatis Rabani Mauri deputavit, quod poſtea originibus cathedralis Eccleſiæ ac civitatis
848. Quedlinburgenſis originem dediſſe dicitur. Anno Iↄcccc XLVIII. Haymo noſter adfuit Synodo Moguntinæ, præſide jam Archie-

chiepiſcopo Rabano Mauro celebratæ: qua de ex recentioribus agunt Baronius Tom. X. *Annalium*, Voſſius extremo *Hiſtoriæ Pelagianæ*, Nicolaus Serrarius *Rerum Moguntiacarum lib. I.* c. XXXIII. Atque ipſe Rabanus amorem erga Haimonem teſtaturus, eidem libros *de Univerſo* inſcripſit. Finem vivendi fecit Haimo anno IϽCCCLIII. VI. Kal. April. ut eſt in Annal. Francorum Fuldenſibus: adeoque viginti prope annorum anachroniſmus Tritthemii obitum Haimonis in annum IϽCCCXXXIV. referentis. Sepultus eſt in crypta, cui templum S. Stephani incumbebat, propter illam cathedram, ex qua docere ſolitus. Pio poſtea ſucceſſorum decreto in Sanctuarium, quod vocant, translatus, ad dextram altaris ſub rubicundo marmore quieſcit. Quæ ab ejus obitu inter Hersfeldenſes & Halberſtadenſes cœnobitas de decimis ortæ controverſiæ, ac ſi illas ſuæ ademtas alienæ Eccleſiæ addixiſſet Haimo, vel propterea a Diabolo concitatas non male opinatur Winnigſtadius, quo tanti Doctoris doctrina, virtus ac ſcripta præclarisſima ſupprimerentur; ſiquidem pauca ipſius in Epiſcoporum rotis inveniri refert. 853.

§. XL. In locum Haimonis HILDEGRIM Epiſcopus eſt ordinatus, ut affirmant Annales Francorum Fuldenſes & Broweri Franco-Saxonicus. Aut igitur nos fallunt Annales Francorum Pithœani, aut apud Voſſium lib. II. *de Hiſt. Lat.* minus recte concepta eorum leguntur verba. *Anno* IϽCCCLIII. *Hemmo Haberenſis Epiſcopus V. Kal. Sept. de hoc mundo tranſiens Folchardum ſucceſſorem reliquit.* Error manifeſtus erit ex Annal. Fuld. in quibus hæc oſtendas. *Hemmo Halberenſis Epiſcopus VI. Kal. April. defunctus eſt, in cujus locum Hildigrim Epiſcopus eſt ordinatus. Reginhericor Epiſcopus VI. Kal. Sept. de hoc mundo tranſiens Folchardum ſucceſſorem reliquit.* Quinam autem, & cujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus Reginherus & Folchardus, non vacat jam inquirere. De Hildegrino ſumus ſolliciti. Is quidem locum non impetraſſet, ſi recipere voluiſſet Ruthardus Hersfeldenſis. Hunc enim Ludovico Germaniæ Regi (non Cæſari, quod eſt ἁμάρτημα Winnigſtadii) dixiſſe ferunt. *Des Epiſcopatum alteri qui ſit idoneus, ego quietem vitæ & diſciplinam regulæ, ac ſtudium litera-* IV.

ram omnibus divitiis ac honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum. Hinc igitur ad Hildegrinum II. primi ex ſorore nepotem, monachum Werdinenſem & poſt adminiſtratorem iſtius Abbatiæ itum: qui, teſte Krantzio *Metropol.* lib. II. c. XIII. annis XXXIV. præſuit Eccleſiæ. Cum eo conſentit Auctor vitæ Ludgerianæ, ejus obitum in XXI. Januarii diem anni
887. IↃCCCLXXXVII. referens. Humatus eſt Werdenæ.

§. XLI. Poſt hunc electum reperimus EVILPVM, quem alii *Egelulphum*, Winnigſtadius *Enolphum*, Centuriæ Magdeb. *Emundum* indigitant, *Virum*, Krantzii judicio *Metrop.* lib. II. c. XXIII. *gravem moribus & inſignem ſanctitate*, quam *hypocriticam* volunt Centur. Magdeburgenſes. Ex Corbeienſi monaſterio petitus (ſi Torquato fides) Bernhardum Caroli Craſſi ex concubina filium bonis literis informavit. Romam profectum anno
896. IↃCCCXCVI. XXVII. Januarii in itinere defeciſſe ſcribunt. De ejus exceſſu tale circumfertur diſtichon.

Ecce novem totis Einolphus præfuit annis,
Inde ſenex ſubita morte peremtus obit.

Cum in crypta primum reconditus, poſt in ipſum templum Halberſtadenſe translatus eſt.

VI. §. XLII. Hinc Arnulphi Cæſaris beneficio Epiſcopatum indeptus SIGISMVNDVS, in cœnobio Hirſaugienſi monaſticis imbutus ſtudiis: quem Ditmarus præclaro mactans elogio *Spiritualem Patrem & Paſtorem Orientalium, Sanctæ Halberſtadenſis Eccleſiæ Præſulem egregium, virum ingenioſum, omnigenarumque, quæ ſpiritualia vel etiam carnalia reſpicit, artium ſcientia omnes ſuimet contemporales præcellentem* ſalutat lib. I. Hic a Ludovico III. Arnulphi Germaniæ Regis filio ex commendatione Hattonis Moguntini Archi-Epiſcopi, Wiperti Verdenſis Epiſcopi, Ottonis (Saxoniæ) & Burchardi (Sveviæ) Comitum, memorabile impetravit privilegium, quo præter cetera permittitur Canonicis Halberſtadenſibus, vacante ſede, *alium Epiſcopum canonice atque Eccleſiaſtice, digne ad hoc & convenienter ſuo cœtu eligere vel ali-*
909. *unde poſtulare.* Diploma datum anno IↃCCCCIX VII. Auguſti, quemadmodum memorat, qui dubio procul inſpexit Guil. Budæus in *Hiſtoria Alberti II.* Quod quidem privilegium a ſucceſſoribus

bus ſingulis, Ottonibus inprimis & Henricis, ut & Adolpho Naſſovio, itemque jugi exercitio confirmatum: ut idcirco Epiſcopi more hoc majorum electi per annulum & virgam a Cæſare (donec illa turbarent Papales furiæ) inveſtirentur. Hunc Sigismundum rigidum fuiſſe decretorum monaſticorum obſervatorem argumento eſt, quod Henricum Aucupem Ervini Altenburgenſis in Miſnia Dynaſtæ filiam Hatheburg, quæ vidua eſſet velata, ducentem anathemate notaverit, ulterius progreſſurus, niſi Conradus Rex Germaniæ a propoſito revocaſſet. Narrationem Ditmari ex lib. II. adſcribemus: *Hic pietate maxima, & quod ſummum & perfectionis culmen, Chriſti zelo fervens, ut perpetrati facinus connubii primo audivit, ovium culpam ſuarum ingemuit, & aliquam inter ſe fieri amplius commixtionem per internuncium & per epiſtolam banno Apoſtolicæ autoritatis interdicens, ad condictam ambos Synodum (*ad Triburiam: Cent. Magd.*) vocavit. Henricus tali rumore turbatus ad Imperatorem properavit, omnemque ei indicans rem ordine, auxilium ejus petivit, & quia familiaris ei fuit, & patris commiſſo ac fideli ſervitio impetravit. Nam legato ad Antiſtitem concite directo ut vinctos ſolveret, & adſuimet præſentiam differret poſtulavit.* Baronius hæc refert ad annum ɪↄcccccxɪx. Obiit Sigismun- 919.
dus XIV. Jan. anno ɪↄcccc xxɪɪɪ quod ex Ditmaro diſcimus, 923.
cujus de viſione & ſepulchro ejus recenſio non indigna lectu. Forte igitur falluntur Halberſtadenſes, ut & Torquati Annales a Budæi MS. Chronico laudati, in ſequentem annum; at magis Winnigſtadius, in annum hujus ſeculi xxvɪ. obitum Epiſcopi referentes.

§. XLIII. BERNHARDVM Sigismundi ſucceſſo- VII.
rem, Burggravium Magdeburgenſem facit Krantzius *Metropol.* II. c. XXV. ac ejus, ut colligimus, fide, Winnigſtadius; quod an confirmari queat, valde dubitamus, potius Meibomio credentes, *nobilem Dominum ab Hadmerslebe* facienti. Id veroſimilius, quod ex eodem conſtat Winnigſtadio, Quedlinburgenſe monaſterium ab Henrico Aucupe conſtructum, ſequente obitum anno, qui a Servatore nato erat ɪↄcccccxxxvɪɪ. præ- 937.
ſente Mathilda vidua & cognomine Abbatiſſa filia conſecraſſe.
Anno ɪↄccccxʟvɪɪɪ. Synodo Ingelheimianæ cum pluribus aliis 948.

 Ger-

Germaniæ Galliæque Epiſcopis interfuit: teſte Frodoardo Presbytero Remenſi. Si, quod idem refert, S. Sixti brachium oſſaque Felicisſimi & Agapeti cum reliquiis aliis Roma detulit, illorum temporum ſuperſtitionem ſapit. Habetur etiam pro conditore cœnobii Hademerslebiani (hodie Hedersleben) cui primam præfecit Abbatisſam Gunderodam ſororem. Ferunt ſuo geminoque ſororis ſomnio monitum Ptochodochium XII. viduis, in quarum locum poſtea juvenculæ ſucceſſerunt virgines, deſtinaſſe, & quod per bona opera falſo crederent cœli portas ſibi aperiri, ipſum beneficium *Præbendas Portæ* (die Pforten Pröven) ipſumque habitaculum *Domum Portæ* (das Pforten-Haus) appellaſſe. Certe nomina illa in præſentem diem durant Halberſtadii. Porro Winnigſtadius fratres Bernhardo aſſignat Geronem & Sigfridum, alterum Gerenrodani cœnobii ad Hartzica conditorem; alterum Gröningenſis ad Bodam caſtri, & in S. Viti honorem ſtructæ ibidem Eccleſiæ auctorem: quæ hic quidem moriens Epiſcopo fratri legaverit. Ea ſi certa, præſul ex Marchionum Luſatiæ familia foret oriundus; cujus rei documenta nulla reperiuntur. Tum vero quomodo Gröninga primum Corbejenſi Abbati Volckmaro a Sigfrido Comite Saxonico donata, commonſtrant fundationis literæ a Meibomio in Notis ad breve *Chronicon Corbejenſe* in calceNotarum ad Witichindum exſtans repetitæ. Id Ditmaro affirmanti credimus, Bernhardum conſecraſſe primam Gerenrodanam Abbatisſam Hathui (Hedwigen idem teſtatus vocat Auctor Chronici Montis-Sereni) viduam Sigfridi illuſtris gnati Geronis. Huic Bernhardo perſvadere non poterat Otto Rex & Cæſar, ut partem diœceſios, Magdeburgo, quod in Epiſcopatum decreverat extollere, adſcribendam dimitteret. *In Magdeburgenſi civitate*, ait Ditmarus, *Epiſcopatum facere conatus, apud Bernhardum Sanctæ Halberſtadienſis Eccleſiæ Antiſtitem, in cujus diœceſi urbs præfata jacuit, quam diu ille vixit, impetrare non potuit.* Gobelinus Coſmodromii æt. VI. cap. XLIIX. *Otto Rex volens in Magdeburg Epiſcopatum inſtituere, apud Bernhardum Epiſcopum Halverſtadenſem, in cujus diœceſi erat Magdeburg conſtituta, multum inſtabat, ut ad hoc conſenſum ſuum ſponte adhiberet; ſed Rex*

non

non potuit ejus conſenſum obtinere. Ob hoc in carcerem conjectus, in vinculis ſervavit mentem geminam, nec dubitavit eo loci pontificali habitu indutus anathemate ferire Regem, qui prius cachinno hominem excipiens, re amplius penſitata, & libertatem & licentiam indulſit Præſuli. Digna certe hiſtoria, quæ vel ex Krantzii *Saxoniæ* lib. IV. c. VII. Ejusdem *Metropol.* lib. III. c. X. Pauli Langii *Chronico Citizenſi* cognoſcatur. Locus captivitatis in Sacellum mutatus viſitur ſub ſcalis Quedlinburgenſis arcis accepto nomine *S. Nicolai in Vinculis.* Quamvis vero Bernhardus Magdeburgenſia eximi dioeceſi non paſſus, Ottoni tamen monaſterium Magdeburgicum fundanti jam anno ɪↄccccxʟ. item ɪↄccccxʟvɪ. quædam conceſſit, aut aliis 940.
potius beneficiis commutavit, uti patet ex privilegiis Magdeburg. III. & V. in diplomatum Witichindo Corbejenſi junctorum ſyllogen ab Henrico Meibomio relatis. Præterea cum 946.
conſenſu hujus Epiſcopi Otto anno ɪↄccccʟɪɪ. Helmſtad. monachis *decimas villarum Helmſtad, Baſſalo, duorum Sedorp & Wormſted* conceſſit, ut ex alio diplomate Meibomiano patet. Hoc Bernhardo Eccleſiam regente, Dominica Halberſtad. ab Hildegrino II. exſtructa magnam partem collapſa multos populi oppreſſit, quod juxta Ditmarum factum anno ɪↄccccʟxɪɪɪ. *In tertio anno*, inquit, *II. Calend. April. Eccleſia Halberſtadenſis cecidit.* Quod noviter ab ipſo reparatum, ſequens docet verſiculus: 952. 963.

Ipſe monaſterium Bernhardus condidit amplum,
Poſt is ad æterna commoda pacis abit.

Et abiit quidem anno ɪↄccccʟxxɪ. quod ex ſequentibus Ditmari lib. II. liquet. *Interea Bernhardus Antiſtes venerandus plenus dierum XLVIII. ordinationis ſuæ anno, & in ipſo die, id eſt III. Non. Febr. obdormivit in Domino.* Octo hos & quadraginta annos ſi tertio & vigeſimo ſeculi decimi addideris, reſultaverit modo dictus numerus. Baronius tamen anno LXXIII. memorat. Budæus, affirmante Meibomio, refert in annum ɪↄccccʟxɪx. At vero ſi Concilium Ravennatenſe, quo Erectio Eccleſiæ Magdeb. in Archiepiſcopatum per Johannem Papam firmata, juxta computum Baronianum an. ɪↄccccʟxvɪɪ. celebratum, eidemque tanquam Epiſcopus Halberſt. jam ſubſcripſit Hildiwar- 971.

 dus,

dus, non video, qui vel una harum ſententiarum firmo ſtet talo. Præterea Adelbertus primus Archiepiſcopus Magdeb. an. ɪↄccccʟxx. conſtitutus dicitur, & poſtea conſecratio Halberſtadenſis Baſilicæ quæ an. ɪↄccccxʟɪ. contigit, in xxɪv. ordinationis Hillibardinæ annum refertur; ut neceſſe ſit anno ɪↄcccc ʟxvɪɪɪ. epiſcopalem inſulam impetraſſe: quos Chronologicos ſcrupulos ſi nobis quis exemerit, næ gratam faciet operam. Tangit exceſſum Witichindus, non ſine Præſulis elogio, his verbis: *Illo quoque tempore Bernhardus, ut ab omnibus prædicabatur, ſuis temporibus ſacerdos digniſſimus, diem finivit extremum: ſepultus eſt in medio choro Halberſtadenſis templi.*

VIII. §. XLIV. Tunc ex Præpoſito electum *a cuncta S. Halberſt. Eccleſia clero & populo* HILLIBARDUM (quem & vocant *Hillivvardum* & *Hildevvardum*) ab Anteceſſore *Bernhardo ad hoc præſignatum*, Otto Imp. *Romam venire præcepit. Cumque eodem, quod diu latebat, ſecretum mentis revolvit, ſcilicet facturum ſe in urbe Parthenopolitana Archiepiſcopatum ſemper ſtuduiſſe, ob ſpem remunerationis æternæ, defenſionemque communis patriæ, ſeque ad omnia quæcunque unquam ab eo expetiiſſet, promiſit paratum, ſi conſentiret ſibi hoc perficere votum. Hic autem, ut erat ſapiens, piæ connivebat petitioni, partemque parochiæ, quæ ſita eſt inter Oram & Albim & Bodam fluvios, & inſuper viam, quæ Frederici dicitur, Domino conceſſit, Sanctoque Mauritio ac Imperatori. Inſuper idem charitative rogatus a Cæſare Auguſto, dedit Domino Sanctoque Laurentio parochiam jacentem inter fluvios Willerbizi, & Salſum mare & Salam & Vnſtrot, & Helmana, & foveam, quæ eſt juxta Valenhuſum. Tali munere Imperator arridens, per manus ſuſcepit eandem, curamque ei baculo committens paſtoralem. Accipe, inſit, pretium patris tui. Hunc enim Ericum nomine, cum Buccone, Hemanno, Reinvvardo, Wirino, Eſerio, cæteriſque, qui in Quidilingeburg eundem tunc in Paſcha ſolenni occidere conabantur, decollari præcepit.* Integer hic ſermo eſt Ditmari lib. II. Ex quo primo nomen & fatum patris *Erici* diſcimus. Qua autem fide Winnigſtadius, & in *Chron. Bergenſi* Meibomius eum faciant Comitem de Werle, non ſatis liquet. Porro Winnigſtadius Epiſcopum in monaſterio San-Gallenſi a pueris educatum,

tum, ex Capellano Cæſaris Præpoſitum Halberſtadenſem, ac Epiſcopum creatum aſſerit. De manſione San-Gallenſi eo dubitandum minus, quo major in his Ditmari auctoritas, qui in *Chriſti Confeſſoris Galli monaſterio Præſulem edoctum* tradit lib. IV. Deinde ex Ditmaro apparet, quomodo ſub hoc Epiſcopo Diœceſis Halberſt. magnum ceperit detrimentum, Magdeburgo attributa bona territorii parte, nempe *quæ eſt inter Oram, Albim & Bodam fluvium, una cum via Friderici*: quam fuiſſe conjicimus ubi nunc eſt, pagus *Frecleben*, quod ex Frerck/ quo modo Saxones pronunciare ſolent Fridericianum nomen, corruptum videtur; quanquam ad Salam *Frideberga* & *Konigsvveg* reperiuntur, quæ unde nomen acceperint, ambigimus. Præterea quicquid fuit diœceſeos inter fluvios *Salam & Vnſtrutum, Elmanam* (die Helm) *Salſum mare* (Geſalgen See) ſive ſtagnum in Mansfeldenſi Comitatu, *ac foveam juxta Walhuſam*, inter Sangerhuſam & Franckenhuſam ad Helmanam oppidulum, Magdeburgenſi ditioni adſcriptum. Hoc lauto bolo delinitus Otto, facile in confirmationem novi Epiſcopi conſentiens, eundem virga paſtorali inveſtivit, Adelbertum autem monachum Trevirenſem primum Magdeburgi Archiepiſcopum conſtituit, quod Ditmarus & Gobelinus in an. IↃCCCCLXX. Albertus Stad. in annum ſeq. rejiciunt, Engelhuſius his verbis tangit. *Ipſe Parthenopolin Archidiaconatum Halberſtadenſem fecit Archiepiſcopatum, præficiens ei Adelbertum, & ſubjiciens eidem Epiſcopatus Citzenſem, Miſnenſem, Mersburgenſem, Brandenburgenſem, Havelbergenſem, cum terra Sclavorum.* Quæ ſi attentius conſideramus, apparet ab Hermanno Billingo novo Saxoniæ Duce Halberſtadenſibus præfici non potuiſſe Epiſcopum, quod Krantzius III. *Metrop.* c. XXXI. & Winnigſtadius memorant: niſi dicere malis, Epiſcopum digreſſum a Cæſare, ipſius juſſu ab Hermanno introductum. Adelberti Magdeburgenſis ſucceſſor fuit Giſilerus, qui cum Mersburgenſem Eccleſiam, non ut mercenarius modo, ſed pene ut lupus diſſipaſſet, eandem hactenus liberam in Abbatiam commutatam Eccleſiæ Halberſtadenſi ſubdidit. Hac de re legas apud Ditmarum 970.

rum

rum Lib. III. *Merſeburg, quæ usque huc liberaliter dominabatur, Eccleſiæ Halberſtadenſi ſede Epiſcopali deſtructa ſubditur.* De Jurisdictione Eccleſiaſtica, & quibusdam bonis id intelligendum: ceu recte etiam accepit in *Marienthalenſi Chronico* Henricus Meibomius. Nam alias integer Epiſcopatus Halberſtadenſi diœceſi non attributus, ſed miſere potius diſſipatus. Vnde nec ab Hillibardo, quod vult Winnigſtadius, ſed a Giſilero primus Abbas fuit conſtitutus; quod ſatis clarum ex Ditmaro. Paulum Langium licet recentiorem, non abs re fuerit audire: *Giſilarius antea fuit Epiſcopus Merſeburgenſis, factus autem Archiepiſcopus actu habitum Epiſcopatum retinuit Merſeburgenſem. Aſt quoniam ex integro licenter & commode retinere non valuit (nec dum quippe ambitio iſta vel potius abuſio exorta in Eccleſia & permiſſa fuerat, ut unus paſtor & unus Epiſcopus pluribus præeſſet Epiſcopiis) ipſum deſtruere & diſſipare cœpit, bona illius vicinioribus diſpertiendo Eccleſiis. Enim vero quædam Misnenſi Epiſcopo, pleraque noſtro de quo loquimur Friderico* (Citizenſi Epiſcopo) *aliquanta Halberſtadenſia contulit. Majora autem bona, ut caſtella & oppida ſibi retinuit, & dictum Epiſcopatum ita demolitum in monaſterium qualecunque commutavit, ponens ibi Abbatem cum monachis ex cœnobio S. Johannis Bap'iſtæ prope Magdeburg aſſumtis.* Alioquin credimus Winnigſtadio, Hillibertum pro conditore cœnobii Stederlingenburgenſis venditanti, ejusdemque perfectionem in annum Iↄcccclxxv. referenti. Rem ipſam ex Hiſtoria Quedlinburgenſi exponunt quoque Centuriatores Magdeburg. & Neoſanii huc ſpectant ſequentes verſus:

Hilduvardus jam fata ſua prope ſortis abactæ
Cognoſcens, ſanctos ultra fundavit in uſus
Ante obitum eximiam neglectis ſumtibus arcem,
Virginibusque dedit ſacris pietatis amore.

Ubi in margine adjecit: *Cœnobium Stötterlingum ab Epiſc. Halb. fundatur.*
991. Anno Iↄccccxci. Hilliwardus Halberſtadenſe templum noviter a ſe conſtructum, ſumma cum magnificentia conſecravit, cujus rei memoria quæ repetatur ex Ditmaro digniſſima. *Anno Dominicæ incarnationis* Iↄccccxci. *Hillibardus S. Halberſt. Eccleſiæ venerabilis Antiſtes, qui me baptizavit & confirmavit, templum*

plum Domini, quod ipſe a fundamento ædificans tandem ad unguem uſque perduxit XII. *Cal. Novembr. dedicavit. Adfuit ibi tunc Rex cum Imperatrice Adelheida, avia ejus & Abbatiſſa Mechtildis, & Archiantiſtites hi, Willigiſus, Giſilerus, & Lievvizo cum ſuis cofratribus* XVI. *Feſtivitas autem erat eadem Chriſti confeſſoris Galli, in cujus monaſterio prædictus Præſul edoctus eſt, & ideo ſemper ſtuduit in hac celebritate ſuum perficere deſiderium. & tunc inerat.* XXIV. *Ordinationis ſuæ annus. Hunc adjuvit in omnibus fidelis ſuimet Capellanus Hildo, & prudentiſſime cuncta diſpoſuit. Omnes Saxoniæ primates hic tunc convenientes caritative ſuſcipiuntur. Nunquam fuerunt ante nec poſt, ut veraces affirmant, in divinis laudibus, & negotiis ſecularibus omnia plenius cunctisque acceptius peracta.* Quia etiam hujus Epiſcopi ad Alberonem Metenſium Epiſcopum exſtat epiſtola, qua ſecum portionem ſangvinis B. Stephani ac portiunculam de oſſibus S. Glodeſindis communicari petit, dubio procul hujusmodi reliquiis, pro ſuperſtitioſo ſeculi genio illuſtrare voluit novam cathedralem Eccleſiam. Quum tandem *Antiſtes Hillibardus* (utor verbis Ditmari) *Eccleſiam & gregem ſibi commiſſam* XXIX. *annos glorioſiſſime verus Iſraelita rexiſſet, VII. Cal. Decemb. exſpirans ſepultus eſt extra Eccleſiam, infra clauſtrum, ubi ipſe ſibi paraverat domicilium.*

§. XLV. In electione novi Epiſcopi quandoquidem, Ditmaro affirmante, *confratres convenire non poſſent,* aliique, uti exſtat apud Winnigſtadium, *Hildonem*, ceteri *Hilbertum* expeterent, Otto III. Capellanum ARNVVLPHVM, quem alii *Arnoldum* appellant, iis præpoſuit IX. Decemb. ordinatum. Quos honores ei prædicens Anteceſſor ita allocutus ſuos. *Hunc hoſpitem honorate, & quantum poteſtis, illi ſervite, providere enim debet in ſuos poſt me,* Ditmaro teſte. Sub initium Epiſcopatus Walbeccenſe monaſterium, a Lothario Comite fundari cœptum a Mechtilde vidua & Lothario Sigfridoque filiis perfectum, honorifice conſecravit. Videatur Ditmarus lib. I. Auxiſſe hunc Eccleſiæ prædia, *ne detrimenta rerum ſentirent, quæ inde ad Magdeburgenſem pervenerint,* generatim *Metrop.* l. III c. L. aſſerit Krantzius, quod pluribus explicat Winnigſtadius. Nam ab Ottone III. impetravit V. ſylvas Hackelam,

lam, Hüjam, Elmum & Vorvvaldium cum venatico jure. Præterea Imp. civitatem Halberſtadenſem paſcuis, ſylvis, molendinis, & ducentis, (alii mille ducentos ponunt) manſis auxit; ut ornatum Eccleſiaſticum, ac inprimis aureum calicem,
1003. thuribulumque taceam. An. cIↃ III. Arnulphus conventui procerum regni Germanici in Mersburg adfuit, eodemque anno Henricus II. Ottonis III. Succeſſor, feſtum Pentecoſtes Halberſtadii celebravit, uti ex Ditmaro, & Krantzii *Saxoniæ* l. IV.
1005. c. XXXV. patet. Quod autem hic Henricus Rex anno cIↃV. ab Arnulpho Mersburgenſem Epiſcopatum in Abbatiam converſum repeteret, ac priſtino reſtituens ſtatui, Wigbertum daret Præſulem, quo cœptis ille faveret magis, CXXX. manſos ex peculio reddebat. Nec minus ab eodem Cæſare accepit Ilſenburgum, vetuſtum oppidum, cum ſingulis eo pertinentibus bonis atque juribus: quo poſt collocavit monaſterium. Hanc in rem Chronicon Engelhuſii: *Venerabilis Arnolphus Episc. Halberſt. de caſtro Ilſineburch, quod ei Imperator contulerat, fecit locum monachorum de cœnobio Fuldenſi.* Vtque hæc cum antiquis privilegiis rata forent omnia, tam Cæſareis, quam Pontificiis firmari fecit diplomatibus. Halberſtadium vero metropolin vetuſtate temporum collapſam prope, ab altero Pontificatus in XXII. annum ſtructuris variis auxit & ornavit, ut tum demum, genuinum civitatis formam contraxiſſe putandum: cum præſertim variis immunitatibus ac privilegiis bearetur. In ipſo vero civitatis burgo novum exſtruxit templum, in Dei O. M. & Mariæ virginis honorem, conſtitutis Præpoſito ac integro Canonicorum Collegio, cum Cathedrali Eccleſiæ ſumma cura in omne ævum unito. Nonnulli vita functum putant an.
1023. cIↃXXIII. quo ejus ſucceſſorem memorat Lambertus. Et ad hunc quidem mox pergemus, modo paucis memorabile pietatis Arnulphinæ attulerimus teſtimonium. Precibus publicis intentus erat, cum eum ad ſe vocaret Otto III. Arnulpho reſpondente, ſibi nondum vacare, quod cum majori, ac Cæſar eſſet, Domino ageret. Indignabatur Cæſar, ut depoſitionem quoque interminaretur. Ab ipſo autem Epiſcopo, quis ille foret Dominus, edoctus, in hæc erupit: Satius eſt nos manere divina, quam

quam ſi ille nos exſpectet, ejusque cultus detrimentum capiat. Hiſtoriam debemus Winnigſtadio.

§.XLVI. Ceterum Anno ccɔ xxiii. BRANTHO (*Brandago* audit Krantzio *Metrop.* lib. IV, c. X.) *Abbas Fuldenſis Epiſcopus factus eſt Halberſtadienſis*: quæ ſunt Lamberti verba. Anno ſequenti cum Henricus Imp. ejusque conjux Goslariam contenderent, Epiſcopum inviſerunt. Quod autem eodem anno Henricus decederet, corpus exanime Epiſcopus Bambergam ſecutus: quod Neoſanius ſic expresſit. X. 1023. 1024.

Saxonicas rediit morti vicinus in oras;
Atque ſalutato Brandagone Præſule recta
Hinc per Goslariam cum conjuge tranſiit urbem,
Inque diœceſin lagventi hanc inde reverſus
Corpore, commendans animam cum carne ſupremo.
Multorum expoſitus lacrymis in fata receſſit
Ob ſanctum ſtudium vitæ, moresque pudicos
Sanctorum in numerum ſancta cum conjuge ſcriptus,
Hujus Brandago lacrymis deflevit honeſtis
Funus, & eductum Bambergam corpus in urbem
Fletibus exanimum fuſis decoravit amaris.

Hic Epiſcopus auctor eſt monaſterii ad S. Johannem, enutriendis doctis viris deſtinati. Anno ccɔ xxvi. qvando valida fames 1026. inferiorem Saxoniam ac Halberſtadenſem quoque ditionem premeret, ad levandum animi moerorem Epiſcopus in Græciam ac Palæſtinam profectus multa ſuſtinuit terra marique pericula. Reverſus juxta metropolin, Buslebiæ (Bosleve: cujus loci præter nomen nihil ſuperat,) in memoriam S. Bonifacii novum condens Canonicorum Collegium, de ſuis decimis eidem aſſignavit reditus. Mortuus lue peſtifera XXVII. Aug. anno ccɔ xxxvi. (alii an. ccɔ xxxvii.) primum cryptæ, poſt 1036. Eccleſiæ Sanctuario illatus, inter Hildebardum & Arnulphum ſitus eſt. Caſulam, qua cum primo ſepultus, nigram literisque aureis diſtinctam Præpoſitus ad S. Johannem qvotannis ſemel ſolitus induere.

§. XLVII. BVRCHARDVM, qui ſequebatur, Krantzius *Metrop.* lib. IV. c. XX, *Comitem Bavariæ*, Winnigſtadius ſpecia-

tim *Napurgenſem*, alius *Vochburgenſem* facit. Hic ab utero materno Eccleſiaſticis dicatus, adoleſcens literis egregie tinctus, ex Canonico Regensburgenſi in ſenatum Conradi Regis allectus, cum ſuis precibus quibusdam Saxonicis proceribus capitis damnatis veniam impetraſſet, tam gratioſus in Saxonia factus, ut ad Epiſcopatum a Collegio Halberſt. poſtulatus, a Bardone Moguntino conſecraretur. Ipſe etiam Conradus Halberſt. Eccleſiæ, in gratiam Epiſcopi, aliquot donavit prædia. An *Comitatus Nortturigem & Stopudeſen*, quos Burchardum Eccleſiæ conjunxiſſe memorat Krantzius, in hunc cenſum venerint, haud integrum nobis definire. Winnigſtadius refert, hunc Epiſcopum extremam manum impoſuiſſe Curiæ Epiſcopali (*Aula Petri*, Peters Hoff dicitur) itemque XXIV. curiis Canonicorum; nec minus *Huſeburgi* exſtruxiſſe capellam B. Sixti, ad operas excitandas lapides & cæmentum ſua manu afferendo. Burchardo præſidente, Adelheidis Abbatiſſa Quedlinburgenſis, Xenodochium S. Joh: Baptiſtæ in Weſtendorff inter civitatem tum temporis & burgum condidiſſe ac liberaliter dotaſſe (quod literæ fundationis cum cathedrali Eccleſia exuſtæ; in alienas manus, & templum ad Cœnobium montis Sion venit: uti reperimus apud Winnigſt.) dicitur. Lites cum Meginhero Abbate Hirſchfeldenſi exercuit graves, propter decimas, cumque injuriam fieri ſibi putaret Abbas, re ad Nicolaum Pontificem delata diploma impetravit, quo anathema interminatus Epiſcopum jubet quieſcere. Etſi hæc transmittunt Chronica Halberſtadenſia, gravisſimum tamen auctorem habemus Lambertum ad an. CIↃ LIX. de his ſcribentem. At vero cum ne ſic qui-
1059. dem proficeret Meginherus, morti vicinus interprete Friderico Saxoniæ Palatino, de injuriis queſtus, Burchardum ad tribunal Dei citavit: nec multo poſt exceſſum Abbatis Epiſcopus ſubitaneo morbo correptus animam miſerrime efflavit. Lambertus iterum: *Meginherus (ut prædictum eſt) cum Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopo diuturnam traxerat litem, propter decimationes Saxoniæ, quas ille Herveldenſi monaſterio ereptas, per occaſionem Epiſcopalis regiminis ſibi vendicabat. Contra cujus improbitatem quum nec forenſes nec Eccleſiaſticæ leges quicquam valerent, & Abbas ſæpe querimonia in jus relata ſurdis tribunalibus fabulam narraſſet: tan-*

tandem brevi antequam vita excederet mandavit ei per Fridericum Palatinum Comitem, ſe quidem tanquam viribus imparem cauſa cadere, Deo tamen vires ad tuendam æquitatem non defuturas eſſe, proinde parati ambo eſſent, ut intra paucos dies ad tribunal æquiſſimi judicis Dei cauſam dicerent, victurum ibi eſſe, non qui plus poſſet, ſed cujus cauſa juſtior eſſet. Nec fefellit eventus. Nam poſt dormitionem Abbatis pauci dies interceſſerant: & ecce Epiſcopus quum prædictæ rei gratia ſynodum indixiſſet, & admoto jam equo illuc properare vellet, repente divina animadverſione ictus corruit, reportatusque ad cubiculum adſcitis ocyus presbyteris ſuis, per Deum obteſtabatur, ut decimationes ſuas Herveldenſi monaſterio reſtituerent, atque omnem in perpetuum ſuper hac re litem præciderent, ſcirentque cuncti, qui eadem tentaſſent, ſic infeliciter rem ceſſuram, ut ſibi ceſſiſſet, qui injuſtæ exactionis tam acerbum vindicem ipſum experiretur Dominum. Quumque Magdeburgenſis & Hildeneshemenſis Epiſcopi viſitatum eum adveniſſent, cum magno ejulatu fatebatur ſe juxta prædictum eximii Abbatis ad tribunal Dei jamjam abripi, & pro invaſis rebus alienis rationem exigi, rogabatque obnixe, ut miſſis Herveldiam nunciis veniam ſibi pro admiſſo ſupplices precarentur. Nec multo poſt diruptis miſerabili genere morbi viſceribus, exſpiravit. Vto quoque Archipresbyter ejus, quo ille potiſſimum incentore ad hanc ſævitiam inarſerat, quique exactor atque miniſter hujus calumniæ vehementiſſimus exſtiterat, eodem anno ſubitanea morte ſine confeſſione, ſine ſacra communione interiit, a diabolo (ut fama vulgatior loquebatur) ſuffocatus. Reticent hæc omnia Halberſtad. Chronica, imo & vivum, & poſt fata ad tumbam miraculis coruſcaſſe, ac diem obitus divino afflatu prædixiſſe perhibent. Quæ quidem vel propterea conficta putamus, ut fama de exitu vitæ apud poſteros evaneſceret. Eadem Chronica in templo cathedrali ſepultum, ſed poſt incenſa æde a Succeſſore in cœnobium ad S. Burchardum translatum, ac ſarcophago altare impoſitum referunt.

§. XLVII. Burchardum excepit BVRCHARDVS II. XII.
quem tamen Scriptores antiqui *Bucconem* malunt appellare: & recte quidem, ſi ex Buckiorum Goslarienſium familia (quod Winnigſtadius tradit) oricundus. Krantzius utrumque ei nomen tribuit. Lambertus itemque Brunno monachus *conſobrinum* faciunt Annonis Colonienſis Archiepiſcopi. Goslariæ pri-

mum in Canonicorum cœtu Magiſter Scholæ, poſt Præpoſitus fuit. Et hujus quidem muneris teſtem iterum habemus Lambertum ita ſcribentem: *Burchardo Epiſcopo ſucceſſit Bucco Goslarienſis Præpoſitus, qui Prædeceſſoris ſui recenti adhuc exitio conterritus, ab infeſtatione Herveldenſis monaſterii temperabat. Minabatur tamen plerumque magna ſe facturum, ſed ultra verba non proceſſit.* Primo Epiſcopatus anno monaſterium cum templo cathedrali & æde S. Johannis, dimidioque Weſtendorffio exuſta, refert Winnigſtadius. At vero niſi accuratior fuerit computus ac in Henrici IV. cum Bertha matrimonio (quod ipſe autor eodem anno Halberſtadii contractum memorat) procul dubio errat. Conjunctionis enim annus eſt CIↃLXVI. locus Triburia; non fallaci in his ſcriptore Aſchafnaburgenſi. Quisquis autem annus feralis, bene eſt, quod ſtatim reparandis tam his ædificiis, quam Ilſenburgenſibus a Slavis incendio detrimentum paſſis omnem lapidem moverit Epiſcopus: quem præterea Benedictinum cœnobium *Huisburgenſe*, & in metropoli Canonicorum Collegium ad S. Paulum, itemque Xenodochium S. Alexii,
1063. & aliud S. Luderi condidiſſe ſcribunt. An. CIↃLXIII. *Gerhardus Papa qui & Nicolaus obiit, in cujus locum per electionem Regis & quorundam Principum, Parmenſis Epiſcopus ſubſtitutus eſt, & Romam per Bucconem Halberſt. Epiſcopum miſſus. Cui redeunti pro præmio bene curatæ legationis pallium dedit, & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia: quod Archiepiſcopus Moguntinus* (is erat Sigfridus) *ad obfuſcandum ſui prioratus faſtigium factum interpretatus, indigniſſime tulit: ſed per Archiepiſcopi Colonienſis interventum ſatisfactione accepta quievit indignatio ejus.* Lamberti verbis maluimus hæc deſcribere, quam quæ Winnigſtadius de hoc privilegio attexit, incruſtare. Quis enim talibus ſine diplomatum inſpectione fidem adhibebit?
1068. Anno CIↃLXVIII. ut eſt in Chron. Auguſtenſi, *Burcardus Halberſtadenſis Epiſcopus Luiticiorum provinciam ingreſſus incendit, vaſtavit, avectoque equo, quem pro Deo in rheda colebant, ſuper eum ſedens in Saxoniam redit.* Non diu poſt calamitoſa illa cœpere tempora, quando per inteſtina Henrici IV. cum Saxonicis Principibus bella, innumeris malis involuta Germania. Paucos hac tempeſtate Rex Henricus habuit, pauciores retinuit fautores
tores

tores & amicos, in quibus tamen non eſt cur conſtantiam Bucconis noſtri deprædicet Winnigſtadius, quod ipſe, ad quem provocat, Lambertus plane teſtetur contrarium, eundemque ad annum CIↃ LXXIII. inter *conjurationis auctores ac ſigniferos*, & ad annum CIↃ LXXV. ejus *potiſſimum conſilio bellum Saxonicum adminiſtratum* referat. Vt proin nemo mirari habeat neceſſum Regem Henricum, *tanquam totius Saxonicæ rebellionis Principem, & omnium quæ ſecius acciderant, fomitem atque incentivum inexorabili odio* Epiſcopum *inſectatum*. Sed ut ipſe Lambertus animo eſt in Cæſarem iniquiori, ita Bucconem *frequentibus injuriis a Rege laceſſitum; tamen quod vir eximiæ ſanctitatis eſſet, & optimæ in Eccleſia Dei exiſtimationis, credi nullo modo poſſe aliter* exiſtimat, *in hanc audaciam prorupiſſe, niſi zelo Dei & ſola communis commodi ratione*. An vero zelus ille ſit divinus & commodi communis conſideratio, ſi quis in legitimum Dominum conjurans eundem ſolio amet deturbare, aliis perpendendum relinquimus. Cum Chriſtianiſmo ſane illa convenire nequeunt, qui non modo in benignos ac mites, ſed & in difficiles Dominos exigit obedientiam. Quamvis autem apud Brunonem queratur noſter Præſul, *quod prædia cujusdam nobilis viri, cui nomen Bodo, quæ jure ſuæ deberent eſſe Eccleſiæ, Rex ſibi abſtuliſſet injuſte*; plane tamen hæc ciendo adverſus ſacroſanctum Domini caput bello non ſufficiebant. Et vero quod fax & tuba motuum Saxonicorum eſſet Bucco, non mirum ſigillatim ob ipſum excanduiſſe Germaniæ Regem: ut adeo anno CIↃ LXXV. *usque Halberſtat cum exercitu veniens, omnia, ut cœperat, circumquaque ferro & igne depopulatus*: quæ ſunt Lamberti verba; qui item Sigfridi tunc Henrico fidi in Bucconem iras ſic deſcribit: *Moguntinus Archiepiſcopus efferatus in Halberſtatenſem Epiſcopum, pro eo quod per eum potiſſimum ſtetiſſe videretur, ne Saxones deditioni conſentirent, ſpirituali armatura debellare parat, quem militari manu non potuerat. Legatum ei mittit, eumque ad Synodum evocat, intentans ei crimen perjurii, ea de cauſa, quod contra Remp. cui ſub jurejurando fidem ſpoſpondiſſet, inſtructam aciem dux ipſe belli duxiſſet; & hac occaſione Epiſcopatu eum deturbare, ſi vota ſequatur effectus, machinatur, parum recolens, ſe ipſum eadem noxa teneri, quia & ipſe & cuncti principes*

1073. 1075.

cipes

cipes regni, qui nunc partium Regis erant, in hæc eadem contra Regem bella a principio conjuraverant. Sed nuncius metu hoſtium, per quorum terras tranſeundum erat, retardatus eſt, ne ad legitimas inducias, ſicut ſolemne eſt, ei diem diceret. Atque ita ineptum conſilium eadem levitate evanuit, qua cœptum fuerat. Quæ de Sigfridi inimico ante in Regem animo refert Lambertus, lucem capiunt ex Brunonis monachi *Hiſtoria Saxonici* hujus *belli*. Sigfridus, inquit iſte, *Moguntinæ ſedis Archipræſul, Wernero Magdeburgenſi, & Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopis literas querimonia plenas miſit, quod Rex in Epiſcopatu ſuo loca prædationibus faciendis apta elegiſſet, poſitisque inibi caſtellis & præſidiis, multa mala rebus ſuæ Eccleſiæ faceret.* Sed Deus ipſe Henrico Regi ſervaſſe videtur poteſtatem pœnas de Buccone ſumendi. In eas enim anguſtias res coactæ Principum Saxonum, ut *absque ulla exceptione Regi ſe* cogerentur *dedere*, qui eos *Principibus ſuis ſingulis ſingulos, donec de eis communi conſilio deliberaretur, ſervandos commiſit.* Bucco Babenbergenſi Epiſcopo Ruperto, *immitis ac ferocis* (ſi Lamberto fides) *ingenii viro, at erga* Cæſarem *in adverſis rebus ſpectatæ fidei* creditus. *Poſtquam* vero Henricus *inclinatis ad defectionem Principibus, iterum novis Remp. tempeſtatibus quati aſpexit; quamvis cuſtodis diligentiæ non diffideret, veritus tamen ne forte ſubrepente per hanc moram negligentia aliquid in eo vis vel fraus hoſtilis operaretur; ad palatium eum evocavit, & ibi nunc inter camerarios ſuos, nunc inter cocos & coquinarum ſpurcitias indigniſſimo loco habitum ſub omni diligentia cuſtodiri fecit, donec tam feralibus odiis competens exilium excogitaret*, Hactenus Lambertinum contextum dedimus: nunc cum longior apud illum narratio de liberatione Bucconis ſequatur, in compendium contractam exponemus. Aderat tum temporis Henrico ſoror ejus, eademque uxor Salomonis Regis Vngarorum, quæ ad maritum reverſura navi impoſitum cum miniſtris ſuis Bucconem præmittit, eo deportandum, quo nulla in Germaniam revertendi poteſtas. At Vdalricus quidam ex nobilibus Bojariæ Epiſcopo addictus liberationem promittit, modo ad certum in ripa Danubii caſtellum egresſum obtineret. Quod cum aliquoties per valetudinem ſimulatam impetraret, ac porro in natalitiis Joh. Baptiſtæ miſſam in

proxima

proxima littori Eccleſia celebraret, repente cum armatis adeſt Vdalricus, Epiſcopum ejusque reculas|cuſtodibus extorquens. Hinc paucis diebus in proximo caſtello moratus, mutato habitu revertitur Halberſtadium. In ſumma rei conſentit Bruno monachus, quamvis circumſtantiæ varient nonnullæ. *Quanta gratulatione totius populi* (& hæc Brunoniana ſunt) *fuiſſet acceptus, mens hebes non valet explicare ſtylus. Etiam qui eum prius odio habuerunt, in occurſu læti gaudentesque concurrerunt.* Rex *ubi geſta rei nuncium accepit* (jam iterum loquentem ſiſtimus Lambertum) *graviter & iniquo nimis animo ferebat tantos conatus ſuos in irritum ceſſiſſe, præceptam ſibi tantarum contumeliarum vindictam, redditum cum impunitate hoſtibus virum, in qua totius Saxonici belli ſumma & cardo verteretur: nec dubitare poterat paululum jam ſopitos ignes Saxonici furoris hoc incentore illico ſuſcitandos, & propediem in immenſum conflagraturos: atque eo infeſtius id acturum, quo ſe meminiſſet poſt deditionem nullam in Rege clementiam, nullam expertum fuiſſe humanitatem.* Nec falſus in eo Henricus, qui porro expeditionibus reliquis contra ſeſe militantem vidit Bucconem. Nam teſte Auctore, quisquis ſit, Apologiæ pro Henrico IV. ab Vlrico Hutteno repertæ, ac iterum a Marq. Frehero editæ, *tredecim expeditionibus contra Regem eundemque Imperatorem Henricum militavit.* Eundem Bucconem hic ipſe Scriptor vidit *cum illo Magdeburgenſi Hartvigo in caſtris, quæ poſuerant Saxones atque Thuringi ad locum Iterosfeldiæ, quando perrexerunt in Orientalem Franciam ad patrandum illud circa Wirtzburg magnæ occiſionis ſcelus.* Deſignat is prælium Bleichfeldenſe juxta Wurtzburgum anno CIↃLXXXVI. in quem referunt Dodechinus & alii. Sed tandem 1086.
etiam talem invenit Bucco vitæ exitum, qualem mereri videbatur graviſſimorum motuum incentor. *Qui* enim *præcipue & ante omnes in hoc eſſet ſtudio, ut Regem deponeret a regno, qui eum ſublimavit Epiſcopali faſtigio: occiſus eſt tandem Goslariæ a ſuis popularibus in quadam contentione, quæ inter ipſos hoſtes vel Eccleſiæ vel Reipublicæ facta eſt non ſine plurimorum ſanguine, in diebus ſcilicet paſſionis Dominicæ, quando iterum contra Eccleſiam, contra Rempubl. celebrabant conuenticula ſua.* Sic enim vere ſcribit laudatæ Apologiæ

pius doctusque ſcriptor, qui paulo poſt eum anno diem cædis iterum inculcat his verbis: *Occiſus eſt in ſeditione quadam popularium ſuorum Nonis Aprilis, in quarta feria Dominicæ paſſionis,*
1087. *anno ſcilicet* CIↃLXXXVII. *a tempore Dominicæ nativitatis.* Ac denuo Burchardum *a ſuis popularibus, non id agente Marchione* Egberto, *ſed tamen hoc factum approbante, occiſum* tradit. Bertholdus Conſtantienſis Appendice ad Hermannum Contractum deſignat anni ſequentis VIII. Idus Aprilis. Ad eundem annum octavum & octogeſimum Chronica Auguſtenſis: *Burcardus Halberſtadenſis, fomes & nutrimentum diſcordiæ in ſeditione quadam transfixus exſpiravit.* Chronicon breve *Stederburgenſe* a Meibomio editum refert in annum nonum & octogeſimum. Sepultus eſt Ilſenburgi, quod teſtatur Herrandus ex Abbate Ilſenburgenſi Epiſcopus Halberſtadenſis in *Paſſione* Bucconis quam tanquam Sancti cujusdam, affectibus occæcatus, ſcripſit, eaque Germanice verſa reperitur in Winnigſtadio Ms. qui & alium ejusdem Auctoris de occiſo Buccone ſermonem laudat his incipientem: *Quia abundante iniquitate charitatem multorum noſtris potisſimum temporibus videmus frigeſcere.* Præterea Winnigſtadius memorat, a pia quadam matrona ejusdemque fratrum triga per Bucconem converſis hoc ævo fundatum monaſterium virginum in loco Drubeck/ a tribus rivulis ibidem confluentibus ſic appellato.

§. XLIX. Poſt Bucconem diſſentientibus ſuffragiis electus eſt
XIII. DITMARUS, cujus natales Krantzio *Metrop.* l. V. c. XXIV. ignoti. Ex monaſterio ad S. Mariam, quo in ſcholæ magiſter fuerat, petitum, monet Winnigſtadius, in cujus tamen Chronico mira confuſio. Quid enim hic Henricus Quintus? quid Paſchalis Papa? quid Fridericus Epiſcopus faciunt? ſi Ditmarus tantum per ſedecim dies Præſulatum tenens, ſive veneno ſive præcipitio improviſo vitam finivit. Verſiculos apud Winnigſtadium ſequentes offendo:

Dithmarus eligitur cleri diſcorde Senatu,
Hinc ſedecim tantum vixit in orbe dies.

A virtutis & juſtitiæ ſtudio commendant recentiores. Sed quod paucis experimentis in hoc quidem faſtigio illud compro-

probare potuerit, ipſa temporis brevitas inculcat. Paterna quæ fuere bona Eccleſiæ D. Virginis, qua in ſepultus, legaſſe, ejusque ſtructuram urſiſſe obſervat Winnigſtadius.

§. L. Succeſſit Ditmaro HERRANDVS, qui & Stephanus a nonnullis dictus, Abbas Ilſenburgenſis, jam ante Ditmarum a nonnullis electus. Is tanto odio perſecutus eſt Henricum IV. ut cum aliis Saxoniæ Principibus ſua conjungens arma, dignitate regia omnino deturbandum judicarit, ceu ex epiſtola ejus, nomine Ludovici II. Comitis Thuringiæ (is eſt, qui *Salius*, ſive *Saltator* vulgo audit) quem Valtramus Epiſcopus Numburgenſis ab Henrici Regis inſectatione dehortatus, ſcripta apparet. Servavit illam Dodechinus Mariani Scoti continuator ad an. CIƆXC. ubi tamen Valtramus (certe in editione Piſtoriana) *Magdeburgenſis Eccleſiæ Antiſtes* perperam vocatur. Winnigſtadius ab eruditione, Abbatiæ Ilſenburgenſis ſollicita adminiſtratione, ac Bibliotheca ibidem condita commendat: quam ſuperiori ſeculo in turbis ruſticanis disjectam dolet. Tritthemius eum inter Scriptores Eccleſiaſticos refert. Si tantum triennio tenuit Halberſtadenſem Epiſcopatum, non video qui ejus obitus a Bruſchio, quem Centuriatores Magdeburgici ſeqvuntur, in annum CIƆI. referri debeat. An igitur tredecim annos ſedit? quod vult diſtichon Winnigſtadio noſtro inſertum: XIV. 1090.

Qui Stephanus multis, Herrandus voce vocatur
Annorum tredecim tempore Paſtor erat.

In triennio conſentientem habemus Krantzium *Metrop.* l. V. c. XXX. Quod per Saxoniam omnia turbis plena, in Reinhardsbronnenſi a Ludovico Salio non ita pridem condito cœnobio ſepultus eſt. Ab exceſſu Herrandi per ſexennium rectore dicitur caruiſſe Halberſtadenſis Eccleſia: quamvis tum demum FRIDERICVM, cujus antea meminerat Winnigſtadius, ex Canonicorum Collegio electum, ab Henrico V. probatum, ſed a Paſchali Papa rejectum exiſtimem. Nam & Ilſenburgenſes monachos ſibi obedire detrectantes monaſterio ejeciſſe reperio. Ipſe autem Fridericus tandem ex decreto Synodi Quedlinbur-

 gen-

genſis ab Henrico V. ob ſimoniam depoſitus eſt, teſte Engelhuſio pag CCXV. quamvis ad Northuſanam rejiciat Conradus Vrſpergenſis, cujus verba ad ann. cIↄcv. repetit Baronius Tom. XII.

XV. §. LI. Nunc ad REINHARDVM, quem alii *Reinerum*, Helmoldus & Albertus Stadenſis *Reingerum* vocant, nos convertimus. Hunc nobili proſapia oriundum conjicit potius, quam demonſtrat Krantzius *Metropol.* l. VI. c. VI. Idem tamen firmans Winnigſtadius, ad Pariſienſe ſtudium a Parentibus miſſum in monaſterio ad S. Victorem doctrina ac virtutibus effloruiſſe, domum poſtea reverſum a Ludero ſive Lothario Saxonum Duce ad Epiſcopam commendatum, ab Adelberto Moguntino conſecratum aſſerit. Hamerslebienſe cœnobium S. Pancratii memoriæ, & aliud S. Johannis ad frigidum fontem (zum Kalteborn) utrumque Ordinis S. Auguſtini fundavit. Seculares Canonicos S. Joh. Baptiſtæ, quos Brantho Halberſtadii locaverat, in Auguſtinianos monachos reformavit, ac gemina de clauſtro virginum San-Laurentiano prope Scheningam conſtituit. Vnde non immerito habetur pro primo Regulæ S. Auguſtini per Saxoniam auctore. Præterea Benedictini Ordinis cœnobia, Gerbſtetenſe ſcilicet, Heimerslebianum, Drubeccenſe, Stotterlingenburgicum ad priſtinam regularum obſervantiam revocavit. Hujus Reinhardi ævo novi in Saxonia motus

1113. contigere, cumque Henricus V. anno cIↄcxiii. in comitiis Erfurtenſibus (quorum meminit ad hunc annum Dodechinus) Principes aliquot Saxones, & cum his Halberſtadenſem Præſulem, proſcripſiſſet, ac poſtea Hornburgum arcem Epiſcopi ad Ilſam fluvium evertiſſet, Brunſwicum occupaſſet, Halberſtadium cum proximis villis exusſiſſet, res in prælium ad ſylvam Welphonis (Welffesholz) erupit, quo Cæſareus miles, quem Hoierus Comes Mansfeldicus ducebat, a Ludero ſociisque & in his ab Epiſcopo noſtro victus magnaque clade affectus fuit. Hiſtoriam prælii ſcribunt tanguntque Dodechinus, Chronica Auſtralis, Helmoldus, Albertus Stadenſis, Siffridus Miſnenſis, Chronicon Gozecenſe & Bigaugienſe, Paulus Langius,

us, Krantzius, Spangenbergius, & noviſſime Henr. Bangertus obſervationibus ad Helmoldi lib. I. c. XL. quamvis in epocha non æque conſentiant. Ante conflictum Reinhardus *inter miſſarum ſolemnia verbum faciens ad populum, movit eos divinam implorare clementiam, ac pro defenſione libertatis & patriæ viriliter pugnare:* quod Engelhuſio & Auctori *de fundatione cœnobii Bigaugienſis*, credimus. Et pluribus id deducunt Spangenbergius & Erneſtus Brotuſius in *Hiſtoria Wiperti & Chron. Mersburgenſi.* Winnigſtadius refert eundem a finito prælio curaſſe, ut Cæſareani ſepelirentur. Sed contrarium aſſerit Appendix Martini Poloni Ms. Bibliothecæ hujus Academiæ, nempe *omnibus ex parte Regis ſepulturam interdixiſſe.* Quomodo trophæum in loco pugnæ erectum idolo Jodutæ locum dederit, eoque everſo Weddingſtedenſe cœnobium fratrum Prædicatorum ſucceſſerit, præter Winnigſtadium Krantzius lib. V. *Saxoniæ* c. XXXVI. recenſet. Æra prælii incidit in III. Id. Febr. (Alb. Stadenſis habet Kalend. Febr.) anno CIↃCXV. quem & hi verſiculi continent: 1115.

Anno milleno centeno ter quoque deno
Sylvam Welfforum perfuderat unda cruoris,
Tunc ſunt necati quadraginta millia quinque,
Ipſo nempe die Dionyſi Martyris almi.

Finito prælio Epiſcopus Luderum comitatus eſt Brunſwicum, ubi monaſterium tum temporis extra urbem in honorem SS. Auctoris & Ægidii conſecravit, quemadmodum ex Chron. Saxon. repetunt Centuriatores Magdeb. qua de conſecratione plura legas in Meibomii *Bergenſi Chronico* ſub Hugone Abbate XIV. Circa hæc tempora etiam Conradum Gozezenſem Abbatem conſecravit, ut ex libello *de fundatione* ejus *monaſterii* per Cl. Maderum edito apparet. Vivere deſiit Reinhardus an. CIↃCXXII. juxta laudatos Centuriatores; attamen Chronicon Stederburgenſe deſignat annum XXIV. Conditus eſt in primario urbis templo ante altare S. Crucis.

§. LII. Poſt Reinhardum OTTO *Magdeburgenſis Eccleſiæ Canonicus ſubſtituitur*, quæ ſunt Gozezenſis libelli verba. Ab Henrico V. ſine præcipuorum ex Canonicis conſenſu id fa- XVI.

 ctum

ctum, narrat Winnigſtadius. Hic Epiſcopus Gozezenſem *Abbatem*(quod iterum Gozezenſis libelli verbis exprimimus) *de negligentia frequenter vocavit, vocatum corripuit, non proficiens tandem ab officio ſuſpendit.* Anno CIƆCXXIX. Otto *a ſuis Canonicis Romæ inique accuſatus a legato Papæ* (Honorii) *deponitur*: ut habetur apud Dodechinum, eundemque in annum referunt Auctor Chronici Montis-Sereni, & Chronicon Sederburgenſe, ſed in annum XXVIII. Albertus Stadenſis. Summam Bullæ Papalis affert Winnigſtadius. Ad eundem annum XXIX. monet Chronicon Bigaugienſe, Halberſtadenſes *duos Epiſcopos ſimul elegiſſe*, de quo ſchismate nondum certo nobis conſtat; &, ſi Winnigſtadium audimus, ab Ottonis damnatione alius Epiſcopus non fuit electus. Ceterum in Leodienſi ſynodo, præſente Papa Innocentio II. *petitione Regis & totius Eccleſiæ* priſtino honori Otto *reſtitutus eſt*, quemadmodum ad ann. CIƆCXXXI. commentantur Albertus Stadenſis & Auctor Chron. Montis-Sereni, pluresque circumſtantias addit Winnigſtadius. Anno CIƆCXXXIV. *Imperator* (Luderus) *celebrat Paſcha Halberſtad, ubi quidam de principibus Danorum, Magnus nomine, hominium ei faciens, regnum Daniæ ab ipſo ſuſcepit, & poſtquam præſtitit juramentum, Imperatori ad Eccleſiam procedenti, circulo decoratus aureo, gladium præportavit.* Quæ cum obſervatu digna ſit hiſtoria, majeſtatisque Germanicæ teſtis, maluimus integram ex Chronico Montis-Sereni adſcribere. Eandem ſermone paululum immutato enumerant Auctor Chronici Bigaugienſis & Engelhuſius. Tandem ab Innocentio rurſus exauctoratus Otto in Synodo Piſana, neſcitur quonam pervenerit aut qua fortuna vixerit. Quod hic Epiſcopus monaſterium S. Joh. pœne ad incitas redactum cerneret, loco *præfecturæ & præbendarum porta* (das Pforten Amt und Pröven) quæ eidem Brantho dicarat, ſed Reinhardus ademerat, Xenodochium S. Alexi, a Buccone e S. Luderi atrio conſtructum addicebat. Tunc autem templum Luderianium ibi erat ſitum, ubi hodie capella S. Margaretæ, in curia, quæ vocatur der graue Hof/ eoque exuſto parochia cum aulis huc ſpectantibus translata ad S. Johannem ex conſilio Luderi Cæſaris & Adelberti Archiepi-

Margin dates: 1129. (beside "dem ab officio ſuſpendit"), 1131. (beside "ſtitutus eſt"), 1134. (beside "que circumſtantias")

ſcopi

ſcopi Moguntini. Quomodo autem pars curiæ **des grauen Hoffs** ad Cœnobium Michelſteinianum pervenerit, ſe nequaquam invenire potuiſſe fatetur Winnigſtadius.

§. LIII. Poſt depoſitum Ottonem, quod anno cIɔ cxxxv. factum in *Marienthalenſi Chronico* notat Meibomius, Halberſtadenſi cathedræ Epiſcopus datus eſt RVDOLPHVS, Præpoſitus ad S. Johannem, Vir ſinceræ pietatis & probatæ humilitatis: quod declarat diplomatis a Meibomio laudati initium ſic conceptum: *Ego Rudolphus Sanctæ Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus licet indignus, tamen ſecundum diſpenſationem a Deo mihi creditam, ſola hac illius gratia operante ſum quod ſum.* Quod quidem diploma bene quadrat cum electione Rudolphi, cui ægre aſſenſiſſe pluribus exponit Winnigſtadius. Idem prædicat ſingularem ejus eruditionem tum *Expoſitione Pſalmorum Davidis* in tres quinquagenas diſtributorum, tum aliis ſcriptis in cœnobio S. Johannis, in Novo opere ante Hallam, item Carthuſia Conradisburgenſi olim aſſervatis, ſed partim per bellum ſuperioris ſeculi ruſticanum diſſipatis teſtatam. Templum S. Stephani plumbo fecit obduci. Ædem B. Virginis ampliavit, & reditibus luculentis ornavit. Tranſitum per paludem magno ſumtu ac labore perfecit. Krantz. *Metrop. l.* vi. c. xxiii. & Centur. Magd. quod nos accipimus de aggerum uno, quorum tres ſunt in diœceſi Halberſt. verſus Brunſwicenſia. Anno cIɔcxxxvii. in metropoli provincialem ſynodum celebravit Meibomio laudatam in Marienthal. Chronico. Ann. cIɔcxlvii. expeditioni ſacræ contra Slavos ſuſceptæ interſuit. De quo bello multa apud Helmoldum l. i. c. lxiii. & Chron. Montis Sereni. Anno ſequenti nova iterum ſynodus Halberſtadii celebrata, quam Meibomius Chronico jamjam citato illuſtrat. Chronicon Stederburg. obitum Rudolphi habet an. cIɔcxlix.

1135. XVII. 1137. 1147. 1148. 1149.

§. LIV. Rudolphum excepit VLRICVS, ſive *Vdalricus*, Præpoſitus ad S. Virginem a Conrado III. Eccleſiæ commendatus, ab Adelberto II. Moguntino etiam ingratiis Papæ confirmatus. Primo quidem officium fecit ſatis provide, quod inter alia Baptiſterii & majoris campanæ fabrica, quæ cura eidem adſcribitur, XVIII.

demon-

demonſtravit. Ipſius ævo Fridericus I. Imp. Halberſtadii con-
1156. ventum habuit Kal. Maji: quem ad ann. cIↃcLVI. tangunt Alb. Stadenſis & Chronicon Montis-Sereni. Idem Chronicon ad an.
1158. cIↃcLVIII. memorat, quomodo Vlricus Epiſcopus *cum Alberto Marchione ejusdemque uxore & aliis multis iter peregrinationis ad partes transmarinas ſuſceperit.* Sed *in illa ipſa peregrinatione* (ut denuo
1160. ad an. cIↃcLX. idem habet Chronicon) *conſtitutus propter favorem Alexandri Papæ ab Everhardo Cardinali Legato Victoris damnatur: in cujus locum Gero Præpoſitus ſurrogatur.* Confer Chron. Bigaugienſe. Sequenti anno *dignitatem ferendi pallium a Victore Antipapa acce-*
1164. *pit.* Alb. Stadenſis & Chron. Montis-Sereni. A. cIↃcLXIV. menſe Januario Gero evocavit Albertum Sommerſeburgium Saxoniæ Palatinum ad compoſitionem controverſiæ cujusdam inter Hujesburgenſem & Mariævallenſem Abbates jamdiu litigantes, ſed ante adventum Principis aliorum opera negotium ſine moleſtia compoſitum. Rem pluribus exponit Meibomius Chron. Marienthal. Anno cIↃcLXVII. Alexander Papa *Vlricum Halberſtadenſem Gerone depoſito reſtituit.* Chron. Montis-Sereni & Bigaugienſe. Et in hoc quidem poſtea legas ſequentia: *Olricus Epiſcopus Halberſtadenſis reverſus, & honorifice a Clero & populo ſuſceptus, Geronis ordinata caſſavit.* Quod autem tantum beneficium Friderico Cæſari acceptum ferret Epiſcopus, mirum nemini videatur, cur Henricum Leonem, in quem tum Fridericus infenſisſimo erat animo, perſequeretur. Digna quæ adſcribatur eſt Arnoldi Lubecenſis narratio lib. II. cap. XVII. *Vdalricus Halberſtadenſis auctoritate Apoſtolica reverſus eſt in ſedem ſuam. Sed & manus Imp. cum ipſo erat, in omnibus conſortans eum. Statim igitur ad introitum ipſius commota eſt terra: quia faventibus Principibus Orientalibus contra ducem Henricum multa moliri cœpit.* Dux autem (ſic ſeq. cap. Arnoldus) *audito ingreſſu Vdalrici, intelligens ſe circumventum eſſe, Bella mihi video, bella parantur, ait.* Quandoquidem vero Epiſcopus Orientalium ope adjutus montem Hopelberg præſidiis firmaſſet, Henricus manu armata adventans rejectis hoſtibus fregit munitionem. Vid. Arnoldus l. I. c. XX. & Krantzius l. VI. c. XXXVIII. *De Hornburgo* id

accipio

accipio, *quod caſtrum ab hominibus Ducis funditus everſum*, obſer- 1177.
vante auctore Chron. Montis-Sereni ad ann. CIↃCLXXVII.
Eandem fortunam expertum *Langenſteinium*, auctore Winnig-
ſtadio. *At illi* (ſic pergit Arnoldus d. l.) *reſumtis viribus cœpto operi*
inſtiterunt. Cumque ſecundo occurreret eis exercitus Ducis, illi invaleſcen-
tes hos in fugam verterunt, & plurimis captivatis ſpolia multa accepe-
runt. Multi etiam perierunt, ſuffocati in locis paluſtribus. Si Chroni-
con Bigaugienſe vera narraret, reſediſſet hic tumultus, cum-
que jam ad Biſchofshemium in procinctu ſtaret Epiſcopus, ſine
cæde litem diremiſſet Wichmannus Archiepiſcopus Magde-
burgenſis. Ipſa Auctoris verba adſcribam ad annum jam di-
ctum: *Vlricus auxilio Ottonis Marchionis de Miſna juxta Byſcofesheym*
contra Ducem aciem inſtruxit: ſed Wichmannus eos ſedavit. Aliter ta-
men ea de re Chron. Montis-Sereni ad ann. CIↃCLXXVIII. *Philip-* 1178.
pus Colonienſis Archiepiſcopus cum infinita multitudine ad repetendam
hæreditatem Ottonis Comitis de Aſſe, ſui nepotis, & Chriſtiani Comitis de
Aldenburg, contra Henricum Ducem venit: ſed Wichmannus Archiepi-
ſcopus multo labore pacem inter illos reformavit. Mox de Vlrico hæc
ſeqvuntur: *Vlricus Halberſtadenſis Epiſcopus auxilio Ottonis Mar-*
chionis Miſnenſis & Bernhardi Comitis, urbem novam in quodam mon-
te prope Halberſtad conſtruxit. Anno CIↃCLXXIX. Alexander Papa 1179.
Concilium Lateranenſe celebravit, quo inter alia actum de
clericis, qui a ſchiſmaticis ordinati erant. Arnoldus Lubecenſis
lib. II. c. XXIII. *Præcipue autem de Eccleſia Halberſtadenſi, quæ per Ge-*
ronem nimis demembrata erat, tam Monachi quam Clerici clementiam
Apoſtolicam ſedis adierunt. In qua profectione præcipue erat Abbas The-
odericus de Hilſeneburg: quia fere omnis congregatio Monachorum ſuo-
rum in ſalicibus organa ſua ſuſpenderant, exceptis paucis ſenioribus, qui
ante ſchiſma ordinati erant. Cumque omni inſtantia inſtarent pulſan-
tes Apoſtolicam pietatem, tandem de ordinatis Geronis diſpenſatum eſt,
ut quia idem Gero non a ſchiſmatico, ſed a Catholico, Hartvico videlicet
Bremenſi Archiepiſcopo, ordinatus fuerat, ordinati ejus per gratiam A-
poſtolicam in ordinibus ſuis perſiſterent, & ad majores per benedictionem
aſcenderent. Ipſe etiam Gero hanc obtinuit gratiam, ut officium Pontifi-
cale in omni loco libere exequeretur, ut in Epiſcopatu Halberſtadenſi. Plu-

ra dehis daretur cognoſcere, modo exſtarent Acta hujus Concilii in unum volumen redacta a Wilhelmo Archiepiſcopo Tyri, quæ ipſe Auctor laudat lib. XXI. *de bello Sacro* cap. XXVI. Interea temporis Vlricus nihil eorum intermittebat, quæ ad pervertendum Henricum viderentur commoda, eaque fini *excommunicationis maledicta* (ſic loquitur Arnoldus l. II. c. XXVI.) *in eum ſæpius proferebat. Dux autem timens ſententiam excommunicationis, venit Halberſtad cum ſuis, & in contritione cordis humiliatus eſt ad pedes Domini Epiſcopi. Et ſolutus eſt a vinculis anathematis, tum ipſe, quam ſui, facta ſolenniter abſolutione. Et ſenſit cum Epiſcopo & cum Eccleſia illa, ea quæ pacis ſunt. Sed hoc parvo duravit tempore. Nam idem Epiſcopus impatiens otii & quietis erat, & iterum occaſione accepta, alienatus eſt ab eo, & additus inimicis ſuis multa contra eum moliri cœpit, & factus eſt noviſſimus error pejor priore.* Adi & Krantzium *Saxon.* lib. VI. c. XXXIX. Quod igitur Epiſcopus tam inquieti eſſet animi, & vere πολεμοποιὸς (quod inter tyrannica notat Ariſtoteles *Polit.* lib. V. c. XI.) ac crebris ex Halberſtadio & Hornburgenſi noviter inſtaurato caſtro eruptionibus per incendia etiam vexaret territorium Ducis, hic non amplius cunctandum ratus, par pari decrevit referre, immiſſisque militibus deprædandi exurendique licentiam iisdem indulſit. Hi licet primo ab ipſo Halberſtadio abſtinerent manus, ac cives quoque, ne quid a Vulcano detrimenti caperet patria, ſollicite providerent; tandem tamen eo res redacta, ut tota civitas conflagraret, inque favillas redigeretur die Dominica, IX. Kal. Octobr. quod tempus expreſſit Engelhuſius. Quod cum victori nuntiatum, lacrimas ei excusſit, quæ invito ipſo talia perpetrata manifeſto arguebant. Non enim præſente Duce contigit & incendium urbis, & Epiſcopi captivitas. Vnde fabulis non injuria accenſemus, quod Winnigſtadius refert, Ducis abeuntis veſtigia inſequentem fumum adeo ipſi incommodaſſe, ut equo deſcendere compulſus Deo & S. Virgini ſtructuram templi eo loci voverit; ac inde pagus Rocfelen nomen acceperit. Incendium hoc Halberſtadenſe Poeta quidam ejus ſeculi deſcripſit carmine, cujus meminit Caſpar Bruſchius Catalogo Antiſtitum

Hal-

Halberſtadenſium ſed ut ab interitu vindicaretur, integrum & a mendis repurgatum, Meibomius *Chronico Marienthalenſi* inſeruit. Legendi præterea Arnoldus lib. II. cap. XXVIII. ubi magna παῤῥησίᾳ de cauſis hujus cladis diſſerit, Auctores Chronicorum, Stederburgenſis, Montis-Sereni ad an. CIↃCLXXIX. & Bigaugienſis, Additionum ad Lambertum Schafnaburgenſe an. CIↃCLXXV. 1179
Item Krantzius *Saxon.* lib. VI. cap. XL. Bigaugienſis libelli contextum afferemus: *Imperatore abeunte Dux Leo intrat Halberſtad, cremans omnia. Eccleſias etiam SS. Stephani, Mariæ, Pauli & Johannis ignis voravit. Mille homines, tres Canonici presbyteri, qui in ſacra loca fugerunt, occiſi, ſpoliati vel capti ſunt. Epiſcopus cum ſuo Rumaro captus abducitur.* Rumarus ille (Arnoldus *Romanum* vocat) Præpoſitus fuit, Epiſcopi agnatus, quem Sigebergam in cuſtodiam miſſum ex Arnold. cap. XXIX. diſcimus. *Epiſcopum* autem (ut ibidem ſcribit Arnoldus) *Herteneburg deduci fecit, & eum honeſte, ſub cuſtodia tamen, præcepit tractari. Quem religioſiſſima Duciſſa Mechthildis pietatis affectu complexa, quaſi pro reverentia ſacerdotalibus veſtibus bonis large induebat, & ita in omnibus neceſſariis devotiſſime miniſtrabat, ut in tali ſtatu nihil ei deeſſe videretur.* Quæ cum lego, miror qui Fabricius ſcribere auſit, Epiſcopum in vinculis necatum. Diſerte enim memorant Scriptores Epiſcopum libertati reſtitutum. *Ulricus* (ut ad. an. CIↃCLXXX. reperitur in Chronico 1180.
Montis-Sereni) *Halberſtadenſis Epiſcopus a Duce Henrico captivatus multis pro abſolutione ſua & ſuorum feodis conceſſis, & juramento firmatis dimiſſus, & ad ſedem propriam reverſus eſt. Verum omnia quæ juraverat, Apoſtolica ſimiliter & Imperiali auctoritate, tanquam violenter extorta, irrita fieri juſſa ſunt.* Gemina teſtatur libellus Bigaugienſis. Sed inquieti Epiſcopi fervorem tandem mors ipſa infregit. Senio ſiquidem, curis, laboribus & ærumnis, quas ipſe ſibi attraxerat, confectus, Hujesburgi obiit. Quo de ſic Arnoldus: *Veniens Epiſcopus in Huſenburg, infirmitate tactus, ibidem per aliquod tempus ægrotare cœpit. Creſcente autem dolore corporali, temporalibus incommodis exemtus beato fine diem clauſit extremum.* Factum hoc ejusdem ſeculi duodecimi anno octogeſimo juxta Chron. Montis Sereni & Bigaug. vel ſecundum alios biennio poſt, XXX. die Julii.

§. LV. Hinc propter eruditionem morumque elegantiam ex primarii templi Canonico electus eſt Antiſtes Halberſtadenſis THEODERICVS, ex illuſtri *Croſiciorum*, quæ quondam in ordine Dynaſtarum erat, familia oriundum. Nam Auctor Chron. Montis-Ser. eum appellat *Tidericum de Crozuk*. Patrem ei fuiſſe Dedonem, ut & fratrem ejusdem nominis, Meibomiana eruit induſtria in *Chron. Marienthalenſi*. Ea tempeſtate adhuc ſervebat ira Friderici Cæſaris contra Henricum Leonem, unde *Imperator Ducis urbes ædificare cœpit, unam in monte, qui dicitur Biſchovesberg, quæ ab Epiſcopo Vlrico incepta erat & intermiſſa: altera in Hartisburg, quæ olim ab Imp. Henrico IV. ædificata, & a Saxonibus deſtructa eſt.* Chron. Montis-Ser. an. CIↃCLXXX. An. CIↃCLXXXI.

XIX.

1181. *Thidericus Epiſcopus Halberſtadenſis obſedit Blankenborch in Quadrageſima: quæ ſola manſerat Duci fidem ſervans Leoni.* Auctor Chron. Bigaug. Duravit autem hæc adverſus Ducem ſimultas diutisſime: ſiquidem ex Gerhardi Præpoſiti Stederburgenſis *Narratione de Henrico Leone*, quam primus in lucem dedit Meibomius,

1191. apparet, anno CIↃXCI. ipſum una cum Hildesheimenſi Epiſcopo, Abbate Corbejenſi, aliisque nobilibus, Brunſwicum, quæ fere ſola ex patrimonio Ducis ſuperſtes, irrito quamvis conatu

1192. obſediſſe. Anno CIↃXCII. Henricus VI. Imp. Eccleſiæ S. Mariæ in Halberſtad memorabile contulit privilegium, cujus apographum quia in noſtras venit manus, non indignum putamus, qui inſeratur præſenti hiſtoriæ. „HENRICVS VI. divina favente clementia Rom. Imp. & ſemper Auguſtus. Cum „Celſitudo Imperialis omnium Eccleſiarum profectibus & „commodis debeat intendere, Genitricis tamen Dei & Redem„toris JESV CHRISTI Eccleſiam majori ſollicitudine te„netur venerari, quanto ipſa Dei & Hominis mater majorem „prærogativam apud omnium Creatorem promeruit obtine„re. Quia igitur Eccleſia S. Mariæ in Halberſtadt, quam nos „cum omnibus & poſſesſionibus ſuis in ſpecialem noſtræ Ma„jeſtatis protectionem ſuſcepimus, a ſuis Advocatis plurima „frequenter ſuſtinuit gravamina: Nos ad petitionem Canoni„corum, qui in ipſa Domino die noctuque deſerviunt, ſtatuimus

„ mus & Imperiali Edicto ſancimus, ut omnibus bonis, quæ „ libere & ſine jure Advocatiæ eidem Eccleſiæ hactenus acceſ„ſerunt, & in futurum juſtis modis acceſſerint, ſive quilibet „ fideles pro remedio animarum ſuarum ea Eccleſiæ contule„ rint, vel & ipſi Canonici de rebus Eccleſiæ ea comparave„ rint, eodem jure & libertate, qua auctores munerum aut ven„ ditionum ante donationem fruebantur, Eccleſia libere & „ ſine offendiculo poſtmodum perfruatur. Mundiburdum „ quoque & ejusdem bonis quando fuerit neceſſarium, u„ num de Miniſterialibus Imperii vel Eccleſiæ Halberſta„ denſis Canonicis eligere liceat, pro Eccleſia conſtituen„ dum. Ceterum quia memorati Canonici omnes in urbe „ Halberſtad curias non poſſunt habere ad manendum, quin„ que Curiæ, quas extra muros urbis habent, proxime ejus„ dem immunitatis & Juris, cujus ſunt Curiæ intra urbem de„ inceps permaneant & habeantur, ita ut nullus omnino ho„ minum aliquid in eas requirat vel violentiæ præſumat exer„ cere. Si quis autem hanc noſtræ Imperialis Magnificentiæ „ conſtitutionem infringere præſumſit, C.Marc. examinati ar„ genti componat, medietatem fiſco Imperiali, & medietatem „ ipſi Eccleſiæ inferendam. Acta ſunt hæc anno Domini M. „ CXCII. Indict. X. XIII. Kalend. Martii, præſentibus his Principi„ bus Cunrado Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopo & Hermanno „ Monaſterienſi Epiſcopo. Data per manum Præpoſiti Sigelo„ chi Imper. Aulæ Protonotarii apud Hagenowe, Anno Coro„ nationis noſtræ primo. Eccleſiam cathedralem ut & Langenſteinium ſub hoc Epiſcopo cœpiſſe reparari, auctor habet Winnigſtadius, qui ejus obitum refert in an. CIƆXCV. At Meibomius tantum ad annum CIƆXCIII. præfuiſſe ſcribit. Archiepiſcopus Magdeburgenſis Ludolphus, qui ab ipſo non ita pridem inauguratus, humavit eum in ſummo Halberſtadenſi 1193.
templo ante altare S. Crucis.

§. LVI. BERTHOLDUS Theoderici ſucceſſor a nonnullis *Gerholdus*, ab aliquibus *Gardolfus* nuncupatus, ex Decano XX.
majoris Eccleſiæ electus eſt Epiſcopus. De eo Krantzius *Metropol.*

pol. l. VII. c. XXVI. *Halberſtadenſi quoque Eccleſiæ præfuit Epiſcopus, nomine Bartoldus, incertum unde ortus: ſed niſi præſtantem præſumere nemo poteſt, ea tempeſtate, inter tot rerum turbines, conſcendiſſe ad Pontificatum: in illa præſertim Eccleſia, quæ temporalium rerum ſplendorem non minimum tum habebat.* Meibomius Dynaſtis Harbeccenſibus ſatum tradit. Winnigſtadius ab eo confectam inſtaurationem caſtelli Hornburgenſis, eoque loci conditam ædem in honorem Mariæ Magdalenæ; præterea baptiſterium marmoreum, & campanam majorem Halberſtadenſi cathedrali templo dicaſſe, nec minus ſingulare feſtum quotannis ab univerſo clero celebrandum inſtituiſſe memorat. Idem peregrinationem ejus Barenſem & Turonenſem tangit, qua defunctus Eccleſiam S. Martini reliquiis Turonenſibus exornandam condere cœperit. Sed ipſo ob diſſidia inter Ottonem IV. & Philippum Germaniæ Reges Saxoniam vehementer turbantia in cœnobium Kalteborn ſecedente, Senatus populusque Halberſtadenſis ſtructuram ædis complens, ex ea parochiale templum fecit. Obiiſſe dicitur Epiſcopus XXII. Januar. anno CIϽCCII. (Meibomius habet XX. Auguſti an. CIϽCCI) & Hal-
1201. berſtadii in templo cathedrali honorifice ſepultus: quamvis alii Kalteborni humatum velint: quod de ſolo corde refert Winnigſtadius: qui obitum ejus clericos & laicos acerbius planxiſſe pluribus enarrat.

§. LVII. Ab obitu Bertholdi per octennium vacaſſe ſedem, tradit Chronicon Saxonicum, de quo tamen ex aliis ar-
XXI. gumenta non ſuppetunt. Imo vero cum CONRADUM Epiſcopum interea memorent diplomata ac melioris monetæ Chronica, reliquis quibus ſcriptum iſtud ſcatet erroribus computamus. Fuit autem hic Conradus majoris Eccleſiæ Præpoſitus ex ante laudata *Croſiciorum* familia, Dedonis filius, patruelis Theodorici Antiſtitis, quod Meibomius *in Chronico Marienthal.* confirmat exordio literarum Conradi, V. Maji an. CIϽCCII. ſcriptarum, quæ Theodoricum *prædeceſſorem & patruum* ſalutant. Mater Antiſtitis fuit Alheidis, quæ quieſcit in cœnobio Mariæ-Vallenſi, cui aliquid agri conſentientibus & confirmantibus

filiis legavit. Fratres habuit Guncelinum & Fridericum; ſorores Bertradam & Gertrudem: de quibus videantur Meibomius in *Chron Marienthal.* pag. XXXIV. & Chron. Montis-Ser. ad an. CIƆCCXXIV. Epiſcopi hujus vitam prolixe deſcribit Winnigſtadius, quem contraxiſſe videtur Meibomius Chronico jam citato, cujus ductum ſequemur. Sic igitur Meibomius: *Conradus a religioſis parentibus miſſus eſt ad patruum Theodoricum, a quo domi ad omnem pietatem & modeſtiam aſſvefactus, publice non minori diligentia a Canonicis lectoribus in omni liberali doctrina inſtitutus eſt. Ex Camerario electus cum eſſet majoris fani Præpoſitus, ſingularis prudentiæ & pietatis famam apud omnes habuit. Inde factum, ut Gardolfo Epiſcopo Halberſtadenſi, ex Dynaſtis ſive Baronibus Harbeccenſibus oriundo, nono gubernationis ſuæ anno defuncto eidem Eccleſiæ Antiſtes præfectus ſit. Multa de ejus pietate & ſtudio promovendi cultus divini, in literas relata ſunt. A Ludolfo Archiepiſcopo Magdeburgenſi conſecratus eſt. Svanbeccios Dynaſtas laſcivientes, & protervius ſe ipſi opponentes compeſcuit. Verſus Hieroſolymam iter inſtituens, tam in Bohemia, quam Venetiis, ac in Palæſtina honorifice excipitur, comiterque habetur.* Interfuit Epiſcopus Conſtantinopolios expugnationi anno CIƆCCIV. & capta urbe novi Regis Balduini creationi: id quod patet ex Epiſtola 1204.
ipſius Balduini, quam ſervavit Arnoldus *Chron. Slavor. lib. VI. cap. XX.* & tangunt Albertus Stadenſis ad an. CIƆCCXXIV. Chronicon Montis-Sereni ad an. CIƆCCIII. *Redux ex iſto itinere* (ſic pergit Meibomius) *Romam abiit, ibique ab excommunicatione quam incertum ex qua cauſa, incurrerat, a Papa abſolvitur.* A Conſtantinopolitanis, ac Rege Hieroſolymitano Papæ fuiſſe commendatum, auctor eſt Winnigſtadius, qui exemplum commendatitiarum in antiquo Chronico quondam legiſſe refert. Quomodo autem Halberſtadenſem Eccleſiam ornatu Conſtantinopoli accepto ſplendidiorem reddiderit, ſequentia Chronici Montis-Sereni ad laudatum annum docent: *Ibi Conradus Halberſtadenſis Epiſcopus, qui unus fuit peregrinorum, multiplicem ornatum Eccleſiaſticum in indumentis Pontificalibus, & rebus aliis conſecutus, multis & maximis reliquiis ibidem acquiſitis, Halberſtadenſem Eccleſiam inſignivit: ad quarum venerationem dies proxime ſequens Aſſumtionem*

Dei

Dei genetricis depatata eſt, multis undique ad ipſam celebritatem concurrentibus: quando & reliquiæ ipſæ aſpectui omnium, vel etiam contactui exponuntur, & advenientes peccatorum ſuorum, auctoritate Apo-
1205. *ſtolica, conſequuntur remisſionem.* Anno CIↃCCV. Ludolphus Archiepiſcopus Magdeburgenſis obiit, poſt quem *ex arbitrio Conradi* noſtri, *electus eſt Albertus majoris Eccleſiæ Magdeburgenſis Præpoſitus.* Chron. Montis-Sereni. *In monaſteriis novis exſtruendis* (hæc iterum Meibomiana ſunt) *collapſis inſtaurandis, nemini ſecundus fuit.* Huc ſpectat, quod ex Winnigſtadio diſcimus, fundatio cœnobii fœminei in Xenodochio S. Jacobi, a Canonicis ad S. Mariam emto. Templariis etiam equitibus ad S. Burchardum, quod eo moniales, quæ hactenus ad S. Jacobum manſionem nactæ, admitterent, alia bona ceſſit. Pergit Meibomius: *Ademta Epiſcopatui recuperavit: præcipue Oſcherslebium arcem & oppidum.* Hoc per abſentiam Epiſcopi a præfecto quodam Ludolpho Archiepiſcopo Magdeb. traditum, apud Winnigſtadium reperimus. Idem hoc tempore Eilslebium Comitatus Sommerſeburgenſis Epiſcopatui reſtitutum affirmat. Sed ad Meibomiana revertamur. *Laborum in munere arduo & difficili pertæſus Epiſcopatum reſignavit, ſeque in monaſterium abdidit Sittenbachenſe, vulgo Sichem vocant, familiæ Ciſtertienſis.* (Hinc Albertus Stadenſis eum *Ciſtercienſem ordinem intraſſe* ſcribit ad an. CIↃCCXXIV.) *Revocabant eum ab hoc inſtituto Canonici, revocabat Pontifex Romanus, ſed fruſtra. Facta*
1209. *ſunt hæc anno* CIↃCCIX. *In monaſterio ſupervixit annis* XVI. *adhibitus ad multa negotia Eccleſiaſtica, puta Epiſcoporum electiones, templorum dedicationes, monaſteriorum viſitationes reformationesque.* (Hujus exemplum vide apud Auctorem Chron. Montis-Sereni ad an. CIↃCCXIX pag. CXXIII.) *Obiit* CIↃCCXXVI. *Kal. Julii. Titulo uſus eſt ſequenti: Conradus Epiſcopus & monachus in Sichem.* Sed in anno & die obitus videtur aberaſſe Meibomius, ſiquidem ſtandum auctoritati Chron. Montis-Sereni in quo ad an. CIↃCCXXV. legas: *Conradus quondam Halberſtadenſis Epiſcopus monachus in Sichem obiit* XI. *Kal. Julii; ante quem frater ipſius Guncilinus de Crozuk eodem anno mortuus eſt.* Hujus autem Sichemii eo libentius recordamur, quod ſciamus non parum de hoc loco ſollicitum

fuiſſe

fuiſſe Illuſtrem JCtum Johannem Strauchium, ac de eo quoque ad Cl. Maderum non ſemel ſcipſiſſe.

§. LVIII. Ceterum ex quo Conradus vitæ ſe monaſticæ totum addixit, nulliſque ab illa revocari poſſet modis, Collegium Canonicorum elegit FRIDERICVM, quem Winnigſtadius alicubi *Vicedominum, doctum ſapientemque nobilem*, alibi *Thuringum, Marchionem Kirchbergium* vocat. Jam Fridericus Comes Kirchbergius, qui in Comitiis Erfurtenſibus anno CIↃC LXXXIV. miſere periit, præter Volradum genuit Fridericum, qui etiam Halberſtadii Canonicum egit. Sed cum ſupra id plura ſe de eo non invenire in *Chron. Marienthalenſi* ſcribat Meibomius, ac præterea literis an. CIↃCCXXXIV. datis inter alios teſtes citet Fridericum Comitem de Kirchberg, non immerito de his natalibus dubito. Idem Meibomius obſervat Hillebol- XXII.
dum Comitem de Limbere ad Fridericum Epiſcopum ſcribentem eum *Comitem Sommerſeburgium* ſalutare. Ipſas literas affert Meibomius Annotat. ad Gerhardi Stederburgenſis *Narrationem de Henr. Leone.* Neque tamen ex illa familia oriundum credo Fridericum. Eodem quo electus anno CIↃCCIX. interfuit Comitiis Brunſwicenſibus, ac iterum Wurtzburgenſibus, ab Othone IV. 1209.
novo Germanorum Rege indictis: quod patet ex Arnoldi *Chron. Slavor.* lib. VII. cap. XVIII. & XIX. Et quia hic Ottonis IV. facienda mentio, neque id prætermittendum cenſeo, quod is ipſe Halberſtadii Germaniæ Rex electus fuerit anno CIↃCCVIII. quod inter alios teſtatur idem Arnoldus lib. VII. cap XV. Quandoquidem autem brevi poſt Innocentii Pontificis gratia excideret Otto Cæſar, eidem adhærens Fridericus Epiſcopus gemino excommunicationis fulmine percellitur. Quod vero Ilſenburgenſis Abbas Sigfridus non abſtineret a communione Friderici, ipſe quoque excommunicatus, eique per Albertum Magdeburg. Archiepiſcopum ſuffectus eſt Hartwicus, Pegavienſis Monachus, quem tamen monachi Ilſenburgenſes recipere noluerunt. Chron. Montis Ser. ad an. CIↃCCXIII. *Cum Eccleſia Hil-* 1213.
ſeneburg Abbate careret, Albertus Archiepiſcopus ratione legationis ſuæ, quia Fridericus Halverſtadenſis Epiſcopus Imperatori favens excommunicationis jugum ferebat, in cujus diœceſi eſt illa Eccleſia, Hartwvicum

cum Pigavienſem monachum et Abbatem dedit. Quem cum Monachi recipere nollent, Archiepiſcopus excommunicationis vinculo innodavit. Exquiſitius hæc idem narrat Auctor ad an. CIↃCCXXIV. pag. CLXXIX. ex quibus nonnulla afferemus: *Tempore quo Albertus Archiepiſcopus ſub Innocentio Papa ejusdem Pontificis legatione functus eſt contra Fridericum Halberſtadenſem Epiſcopum, pro eo, quod a favore Imperatoris excommunicati recedere nolebat, excommunicationem ſuam promulgavit. Quem dum pœne omnium Eccleſiarum, quæ ſub ipſius adminiſtratione erant, juxta mandatum præſcripti legati vitandum decreviſſent, Sifridus Abbas Ilſenburgenſis ab ejus communione nequaquam credidit abſtinendum. Pro quo dum idem legatus eundem non renitentem depoſuiſſet, monachis ipſius monaſterii alterum pro eo eligendi legitimas inducias non negavit. Quibus, ut ipſe teſtabatur, exemtis cum alium non elegiſſent, Hartvvicum Pigavienſem monachum eis Abbatem inſtituit benedictione confirmatum: illis pro eo quod recipere nolebant, excommunicationis ſententia involutis.* In eo autem ſingularis Friderici reſplenduit felicitas, quod abſoluta ſummi Halberſtadenſis templi ſtructura feſtum dedicationis inſtituerit anno CIↃCCXX. Sic enim ad laudatum annum Chron. Montis-Se-
1220. reni: *Eccleſia major Halverſtadenſis conſecratur ſequenti die Aſſumtionis Dei genetricis a Friderico Halverſtadenſi, Sifrido Hildesheimenſi, Conrado Mindenſi, Havelbergenſi & Chriſtiano Pruciæ Epiſcopis anno poſtquam a Duce Henrico exuſta eſt* XLII. Mox hæc ſequuntur: *Caput S. Mauritii ab Alberto Archiepiſcopo ablatum e Magdeburg.* At aliter Krantzius *Metropol.* lib. VII. cap. XLI. *Aderat* (Fridericus Epiſcopus) *cum clero ſuo in Magdeburg, cum Archiepiſcopus Albertus craneam Divi Mauritii, dono Friderici Imp. acceptam cum ſumma celebritate inveheret Eccleſiæ ſuæ Magdeburgenſi.* Idem Epiſcopus monaſterio Halberſtadenſi ad S. Johannem dedit generale privilegium, quo antiqua omnia, igne licet abolita confirmarentur,
1221. tur, id quod ex Winnigſtadio colligimus. Anno CIↃCCXXI. *Henricus de Vrideberge Halberſtadenſis Eccleſiæ Canonicus, clericatu rejecto miles factus, caſtrum quoddam in confinio civitatis Quidelingeburg ædificare cœpit, quod Henricus Comes de Regenſtein obſedit & cepit, & XXIV. homines in eo deprehenſos decollavit.* Chron. Montis-Sereni.

An-

Anno cIɔccxxIV. Rupertus Helmſtadienſis ad S. Luderum Præpoſitus ſylvam inter cœnobium ſuum & Morthal, ubi monaſterium Marienborn fundatum, ob continuas rapinas & cædes, quæ hic loci patrabantur, fecit exſcindi & eradicari: idque potisſimum urgente Friderico noſtro, qui propterea decimas agrorum ex ſylva paratorum monaſterio remiſit. Buntingius in *Chronico Brunſvvicenſi* pag. CCIII. Anno cIɔccxxVII. Otto, Wilhelmi filius, Henrici Leonis nepos, prælio ab Henrico Comite Sverinenſi captus per aliquot annos egit in cuſtodia. Contra hunc miniſteriales ſive equeſtrem ordinem agri Brunſwicenſis ad rebellionem impulerunt Albertus Archiepiſcopus Magdeburgicus & Epiſcopus noſter Fridericus, inſtigati ad hoc, ut omnibus perſvaſum erat, ab Imperatore Friderico II. ſive Henrico ejus filio. Sed Johannes & Otto Marchiones Brandenburgici non deſtiterunt infeſtare Epiſcopos, donec Otto libertate recepta rebelles coerceret. Videantur Albertus Stadenſis ad an. cIɔccxxVIII. Krantzius *Saxon.* lib. VIII. cap. IV. Meibomius *in Erectione Ducatus Brunſvvicenſis*, & in Notis *ad Lerbecii Chronicon Comitum Schovvenburgenſium* pag. LXI. ubi tamen pro Friderico Ludolphi nomen irrepſit. De hoſtia ſangvinolenta in pago Waterleben inventa & ab hoc Epiſcopo Halberſtadium ſumma cum pompa translata, apud Winnigſtadium prolixa eſt narratio. Centuriatorum Magdeburg. hac de re cenſuram ſubjungo. *Cruorem, quem Dominicum eſſe dixit, ſolenniter introduxit Halberſtadium, atque hoc modo non tantum pro ſe cultor Deorum alienorum fuit, ſed alios etiam peccare fecit.* Nec mirum reſtituto ſplendore veritatis verbi divini ita ſtatuiſſe, cum per craſsiſſimas illius ſeculi tenebras aliquid lucis Evangelicæ in hoc negotio viderit Johannes Semeca ſummi templi Halberſtadenſis Præpoſitus. Nam cum hoſtia illa a ſuperſtitioſis ſacrificulis adoranda proponeretur, magnusque incautæ plebis eo confluxus eſſet, panem iſtum ſacrum, quem miraculoſe ſangvinem ſtillaſſe prædicabant, clerico cuidam manducandum præbuit: calicem vero qui ſangvinem exſudantem exceperat, pilæ templi cathedralis, quod a fundamentis exſtruebat, includi præcepit: affirmans,

Margin: 1224. (line 1); 1227. (line 7); 1228. (line 10)

 mans,

mans, non ut adoretur, ſed ut edatur, cœleſtem illum cibum nobis exhiberi. Refert illa Henricus Meibomius qui hiſtoriam vitæ Semecæ compendiariam nobis dedit in *Marienthalenſi Chronico* pag. XXXIV. ſeqq. Obiit autem Semeca anno CIↃCCCXLVI. aut ſequenti, ejusque mauſoleum adhuc viſitur ad latus meridionale chori: in quo imago ejus habitu Canonici conſpicitur. Verſus Epitaphi qui ibidem exſtant, ſunt hi:

Eſt, erit atque fuit, qui deſiit eſſe Johannes
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis.
Lux decretorum, Dux Doctorum, via morum.
Hic jacet, & placet, ut vacet a pœnis miſerorum.

Ceterum ut Friderici hiſtoriam tandem claudamus, is quidem in Chronico Winnigſtadii deceſſiſſe ſcribitur anno CIↃCCCXXXI. de quo ut dubitemus facit Meibomius in Chronico Marienthalenſi, qui ſucceſſorem ejus anno CIↃCCCXXIX. in vallem D. Mariæ veniſſe, ſibique memoriam, ut vocant, ibi comparaſſe monet: niſi malis dicere, nondum tum Epiſcopum: ſed tantum Canonicum Halberſtadenſem fuiſſe. Quidam Langenſteinii, alii Halberſtadii ſepultum tradunt. Epitaphium quod Langenſteinii viſitur ſeculo ſuperiori jam vetuſtate adeo attritum, ut judicatu difficile, an hic, vel alius ibidem ſitus. Circumfertur tamen ſequens ejus inſcriptio.

Pacificus, gratus, pius hic requieſcit humatus
Qui ſublimatus gloria Pontificatus.
XXIII. *Præſul Fridricus Eccleſiæ Chriſti amicus,*
Animam fidelis commendat Deo in cœlis.

§. LIX. At ſucceſſor Friderici LUDOLPHUS fuit, Comes dynaſtiæ Slademenſis, ſupra Hornburgum ad Ocrum fluvium ſitæ, Henrico Patre genitus. Winnigſtadius Canonicum quoque Hildesheimenſem, Meibomius Præpoſitum Walbeccenſem fuiſſe tradunt. Is bellum geſſit adverſus Ottonem Marchionem Brandenburgicum, quem Langenſteinii tamdiu attinuit, donec oppidum Aldesleve, magnamque pecuniæ ſummam numeraret. Paulo poſt iterum manus conferentibus vulneratus captusque eſt Epiſcopus. Videatur Krantzius *Saxon.* lib. VIII. cap. XX. & *Vandaliæ lib.* VII. cap. XXIII. Obitus Epiſcopi a Mei-

Meibomio in annum hujus ſeculi XLI. a Winnigſtadio in XLV. refertur. Sed ſi annis tantum VIII. ſedit (quod vult Krantzius *Metrop.* l. VII. c. XLVI.) utraque cadit ſententia. Anno CIↃCCXL. adhuc in vivis fuiſſe, indicat data eo tempore confirmatio Translationis ædis Boslebianæ ad parochiam S. Mauritii, quam vidit 1241.
Winnigſtadius & credibile eſt ſequenti anno terrena reliquiſſe.

§. LX. Tum vero ad dignitatem Epiſcopalem evectus eſt MEINHARDVS, nobilis Kranichsfeldius, majoris XXIV.
Eccleſiæ Præpoſitus, qui in Præpoſitura ſucceſſorem accepit laudatum ante Johannem Semecam. Multa fertur ſcripſiſſe, & in his Admonitionem *de legenda S. Scriptura* ad Jacobum de Iſenaco. Hic Epiſcopus Eccleſiæ S. Bonifacii confirmavit privilegia a Senatu populoque Halberſt. accepta, quibus dicta Eccleſia *libera dimittitur & exempta ex omni jure civili & jurisdictione temporali, quocunque nomine cenſeatur, ita quod homines commorantes in iisdem nec ad foſſata de novo facienda, vel ad munitionem aliquam civitatis vel ad vigilias & cuſtodias noctis ſive diei obſervandas nullatenus conſtringatur, & ut nullis oneribus civilibus, publicis vel privatis, taliis & exactionibus, ſive cenſu, qui Wortins vulgo dicitur, aliquatenus moleſtentur. Si quis igitur ex nobis contra noſtræ civitatis indultum hæc contra prædicta auſu temerario præſumſerit violare, ipſum pœna* X. *Marcarum noſtræ monetæ duximus condemnandum, ea tamen ſtructuræ jam dictæ Eccleſiæ S. Bonifacii in ſubſidium eroganda.* Et hoc quidem Senatus eſt reſcriptum. Nunc ex Epiſcopi diplomate nonnulla afferemus. *Eidem Eccleſiæ liberas damus curias, exemptas omni juri civili & jurisdictione temporali quocunque nomine cenſeatur. Volentes, eosdem cum omnibus prædictæ Eccleſiæ curiis & habitaculis Canonicorum, tali immunitate gaudere, qua & aliæ clauſtrales curiæ Dominorum Majoris Eccleſiæ & aliorum Canonicorum Eccleſiarum noſtræ Civitatis gaudere dicuntur. Ita quod nullis angariis, vel parangariis, vel aliquibus oneribus civilibus, publicis & privatis, taliis & exactionibus, ſive cenſu, qui vulgo dicitur Wortins, aliquatenus pragraventur. Literarum quoque Burgenſium noſtræ civitatis Halberſtad de verbo ad verbum ſicut rite prædictæ Eccleſiæ S. Bonifacii data eſt, libertatibus & exemptionibus prædictarum arearum ſub ſigillo eorundem confe-*

ctam nec non pœnam X. *Marcarum, contra violatores præfatarum libertatum in eadem litera ab eisdem Burgenſibus promulgatam approbantes, confirmamus &c* Juxta Krantzium *Metropol.* l. VIII. cap. IX. *quatuordecim annis Eccleſiæ ſumma cum laude præfuit, ſepultus extra muros urbis ad S. Burchardum.*

XXV. §. LXI. Ex eo LUDOLPHUS Comes a Sladem ætate juvenis renunciatus eſt Epiſcopus anno CIↃCCLIV. Sed bien-
1254. nio poſt propter ſimoniam a Papa Alexandro IV. privatus dignitate. Unde non eſt, cur Krantzio accredamus, eundem non
1256. pro Epiſcopo, ſed *adminiſtratore temporaneo* habenti *Metropol.* lib. VIII. c. XXI. Manſit tamen in collegio Halberſtadenſi, & adhuc anno CIↃCCLXXXV. in vivis fuit.

XXVI. §. LXII. Locum ejus impetravit VOLRADUS, nobilis Kranichsfeldius, Meinardi frater. Hic ſaltum Bregel precibus ſororis Juttæ Abbatiſſæ Quedlinburgenſis adductus donavit cœnobio S. Wiperti Quedlinburgi, ubi etiam parochialem Eccleſiam ad S. Blaſium dedicavit. Anno CIↃCCLXVII. hic
1267. Epiſcopus Eccleſiam S. Mariæ in Halberſtad ſingulari ornavit privilegio, de quo Canonicorum majoris Eccleſiæ diploma in noſtras manus venit huc transſcribendum: *H. Dei gratia Præpoſitus, W. Decanus, H. Scholaſticus totumque capitulum majoris Eccleſiæ in Halberſtat omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Ea quæ fiunt in tempore, ne ſimul cum lapſu temporis evaneſcant, neceſſe eſt, ut in ſcripta publica redigantur. Noverint igitur univerſi, quod Venerabilis Pater noſter V. Halberſtadienſis Epiſcopus noſtro accedente communi conſenſu, Eccleſiæ S. Mariæ in Halberſtad ob honorem & reverentiam ipſius ſpatia adjacentia extra muros urbis ſingulis curiis dictæ Eccleſiæ infra urbem ſitis, usque ad communem ſtratam annectens contulit perpetuo poſſidenda, ita quod nec domos cuique ibidem liceat ædificare, volentes ſæpe dictam Eccleſiam B. M. V. eadem firmitate ac libertate in eisdem frui, qua curiæ infra muros Urbis a ſuis Prædeceſſoribus ſunt dotatæ. Nos igitur id gratum & ratum habentes præſentem literam in teſtimonium validum ſigillo noſtræ Eccleſiæ roboramus. Datum Anno Domini* CIↃCCLXVII. *in die B. Sylveſtris Papæ.* Huic etiam Epiſcopo Volrado Otto Anhaltinus oppignoravit

ravit oppidum Wegeleben. Krantzius *Metropol.* l. VIII. c. XVI tantum novem annis ſediſſe, ait cum tamen ejus diplomata ad an. CIƆCCXCIII. pertingere ex Meibomii Chron. Marienthalenſi doceamur. Idem Notis *ad Diploma Thaſſilonis* affert confirmationem donationis cœnobio Riddageshuſano factæ, cum hoc memorabili anathematiſmo: *Si quis hoc fecerit, æternæ damnationis cum Dathan & Abiron habeat portionem.* Is ipſe igitur fuit Epiſcopus, qui Rudolphi Imp. curiæ Erfurti anno CIƆCCXC. celebratæ interfuit: quod ex Additionibus ad Lambertum Schafnaburg. & Chronico Engelhuſii colligimus. 1293.

§. LXII. Qui ſequebatur HERMANNVS a Krantzio, Bruſchio, Meibomio, Neoſanio, Budæo, habetur pro Comite Blanckenburgico: quod non fert Winnigſtadius, qui Comitem Regenſteinianum fuiſſe complurium Chronicorum fide aſſerit. Educatus eſt in monaſterio S. Johannis, quod parentes hujus Epiſcopi inſtaurarunt ac ſplendide ornarunt. Pater Epiſcopi fratresque Vlricus & Albertus ex peregrinatione Hieroſolymitana reduces duo monaſteria fundarunt Halberſtadii, Paulinum ſcilicet, ac Diſcalceatorum, itemque Xenodochium S. Spiritus, ut & cœnobium Servitarum in civitate nova, cui ſolum ſuppeditabat Senatus Halberſtadenſis: quamquam Budæus in vita Alberti II. monaſterii Diſcalceatorum origines Henrico Comiti adſcribat pag. CIX. Tum vero ex miniſtris Epiſcopi Johannes Dapifer coemtis aliquot domibus ac horreis monaſterium virginum ad S. Nicolaum ibidem condebat: quod tamen Budæus Binæ Comiti Regenſteinianæ tribuens in an CIƆCCLXXXIX. refert. Anno CIƆCCXCVII. Hermannus cum Abbatibus monaſteriorum Walkenredenſis, Mariæ Vallenſis, Riddageshuſani, quos in jus vocarat, in gratiam rediit, condonans illis, quicquid jure poſſet poſcere. Vid. Meibomii *Chron. Marienthal.* p. LI. Ex quo apparet, quam craſſe hallucinatus ſit Joh. Winnigſtadius, qui hunc Epiſcopum ſcribit cœpiſſe anno CIƆCCLXX. obiiſſe CIƆCCLXXXI. quem errorem ſequitur Caſpar Bruſchius. Ipſe vero Præſul poſtquam Quedlinburgi Diſcalceatorum quod cœperat, ferme perfecerat XXVII. 1297.

rat

rat ac conſecrarat cœnobium, vitam cum morte commutavit.

XXVIII §. LXIV. Deinceps ad Epiſcopale faſtigium ſublatus eſt ALBERTVS, Comes de Anhalt Henrici & Mechtildæ, non filius (quod habet Winnigſtadius) ſed ex Bernhardo I. nepos, a Cœleſtino V. confirmatus. Eccleſiæ negocia provide rexiſſe, ac quod Canonici majores animarum curam ſeponerent, indoluiſſe ſcribit Winnigſtadius. Quamobrem etiam parochiam S. Martini cœnobitis ad S. Johannem, & Mauritianam Canonicis ad S. Bonifacium commendavit, qui quidem non ſolum verbo, ſed etiam converſatione atque bonæ vitæ exemplo ſuos promiſerant erudituros. Eandemque ob cauſam monaſterio ad S. Johannem decimas & jus patronatus in Ditfurt; Canonicis autem ad S. Bonifacium decimas in ſalinis Quedlinburgenſibus & certam pecuniæ ſummam ex Hekelingen, quæ poſtea ex præfectura Ballenſtedenſi contribui ſolita, dicavit. Idem etiam in honorem S Nicolai Aderslebienſe cœnobium, de quo Guil. Budæum Medicum, Chronicon concinaſſe reperimus, fundavit. Sub hoc Epiſcopo quia cœpit graviſſima de civitate & Comitatu Aſcanienſi contentio, de ejus originibus, per epitomam nonnulla. Afferemus Albertus Vrſus Bernhardum novum Saxoniæ Ducem Henrico Leoni abdicato ſuffectum genuit, cujus præter Albertum Saxonicorum veterum conditorem, duo fuerunt filii cognomines Henrici. Ex his Junior, alias Pingvis dictus, Aſcaniam tenuit, quam tamen ipſius liberis patruus Henricus Senior eripuit. Hic Friderico II. creatus Princeps Anhaltinus, ſtemma continuavit, pluribus ex Mechtilde Brunſwicenſi liberis genitis. Ex illis Otto qui Aſcaniam ſive Aſchersleben nactus erat, filiũ Ottonem ſacris mancipatum ipſe adhuc ſepelivit. Bernhardus vero Bernhardum II. & Albertum Epiſcopum noſtrum ſuſcepit. Cum igitur Bernhardus II. cujus aulæ ſedes tum Bernburgum erat, an. cIɔcccxvIII. mortuo in Aſcanienſi hæreditate patruo Ottoni ſucceſſiſſet, ejus frater Albertus ab ipſo diſſidens Aſcaniam capitulo Halberſtadenſi, ope viduæ Ottonis Eliſabethæ, quæ eam dotalitio nomine adhuc poſſidebat, aſſeruit: quod diſſidii inter Bernhardum Principem

1318.

pem

pem & fratrem Epiſcopum varii cauſa exſtitit. Litem quidem hanc amica transactione Epiſcopus Albertus anno cIↃCCCXVI. 1316. Quedlinburgi componere, remque eo perducere laboravit, ut arcem & civitatem Aſcaniam a Capitulo Halberſtadenſi feudi jure recognoſceret Bernhardus, idque datis & acceptis inveſtituræ literis utrinque firmaretur. Verum Bernhardum id fratri denegaſſe volunt: ac Imp. Ludovicus IV. inveſtituram Bernhardo conceſſit cIↃCCCXVIII. unde inter fratres litigium 1318. recruduit, quod in bellum tandem erupit. Sed cum eopſe anno Bernhardus Princeps deceſſiſſet, hæredem omnium ſuarum dynaſtiarum & bonorum reliquit filium Bernhardum III. qui *Spoliati* cognomen apud Hiſtoricos invenit. Anno poſtmodum cIↃCCCXXII. Ottonis vidua Eliſabetha ſecundis votis Friderico 1322. Comiti Orlamundano nupta, cum dotalitio ſuo valedixiſſet, Aſcanienſes ad Epiſcopum & Capitulum Halberſtadenſe remiſit. Quod Bernhardus III. Ludovico Imp. queſtus ab eodem Comitatu Aſcanienſi Norimbergæ cIↃCCCXXIII inveſtitus eſt, 1323. Epiſcopo tamen poſſeſſioni inhærente. Quo facto non diu ſupervixit Albertus, ſed anno cIↃCCCXXIV. XIV. Septembris vivendi 1324. finem fecit, inque cathedrali templo humatus eſt. Winnigſtadius ſcribit eum in morbum incidiſſe, poſtquam a ſepultura Archiepiſcopi Magdeburgenſis Burchardi a Schrapelaw nefarie a ſuis in carcere occiſi, domum reverſus. At Albertum jam ante cædem Burchardi exceſſiſſe vita, certum, & patet ex iis, quæ Budæus in *vita Alberti II.* pag. CXVI. & ſeqq. conſignavit.

§. LXIV. Ab exceſſu Alberti I. a Canonicorum præſentium Collegio electioni novi Epiſcopi dies dictus, &, ut habet antiqua conſvetudo, vocatis vocandis publicatus, itemque tribus fere poſt obitum Alberti hebdomadis *Capitulatio ſuper tenendis Conſvetudinibus Eccleſiæ Halberſtadenſis* (quæ fuit inſcriptio) concepta, quam novus Epiſcopus præſtito juramento, ac appenſo ſigillo confirmaret; cujus Capitulationis formulam vitæ Alberti noſtri inſeruit Budæus pag. x. ſeqq. Electio autem novi Epiſcopi non facta ſine ſchiſmate. Siquidem major pars Ludovicum a Neindorf elegit, non niſi quinque votis in AL- XXIX.

BERTUM Brunſwicenſem Ducem Alberti Pingvis filium, Præpoſitum Einbecanum, conſentientibus. Lite tamen ad Archiepiſcopum Moguntinum Matthiam Comitem a Buchek delata, *ſervato juris ordine cum magna ſolennitate* (ſic habent verba definitionis) pro Alberto pronunciavit, Ludovico etiam expenſarum damnato: adeoque intra vertentem annum ſecuta inveſtitura, non multo poſt ſacerdotali ordini nomen dedit, ac per ſolennem conſecrationem confirmatus eſt. Ex quo ſatis clare elucet, quam inique cum Alberto egerint Papales furiæ, ipſum pro intruſo Epiſcopo evomentes. Enormiter vero errat Winnigſtadius, quando Albertum Comitem Mansfeldicum Burchardi filium, Canonicum Magdeburgenſem, non electum modo, ſed & a Papa confirmatum, aliquamdiu Alberto Duci viam præcluſiſſe aſſerit: ut multiplices Spangenbergii a Budæo acerbe refutatos errores taceam. Papa quidem Johannes electionem ac confirmationem Alberti, quantum in ſe fuit, irritam facere voluit, ac idpropter Giſeconi (aliis *Giſelberto*) de Holſatia Epiſcopatum commiſit, pro cujus vicario ſe geſſit jam dictus Ludovicus de Neindorff, ad Brandenb. Epiſcopen evectus. Attamen Giſeco potentiam Alberti reformidans *quaſi pro derelicto* (quæ ſunt verba Annalium Halberſt.) habuit negocium Epiſcopale, *ac Dominum Albertum Epiſcopum ipſam Eccleſiam poſſidentem per* XX. *annos & amplius poſt talem proviſionem inquietare penitus non curavit.* Nec Ludovicus ad ſummam rei aliquid perfecit: cum interea Albertus fidem daret Capitulo, ſe ſuis ſumtibus expenſas futuri forte proceſſus ſoluturum. Alberti hac de re literas affert Budæus pag. XXXV. Quamvis autem Epiſcopus noſter benignæ ac mitis eſſe naturæ, per Paparum tamen malitiam ac vicinorum Comitum auſa ſtetit, quo minus quiete vitam degere licuerit: unde vel ultra XX. expeditiones feciſſe memorant. Primam autem controverſiam de Aſchersclbio, aliisque feudis juribusque ipſi movit Bernhardus III. Comes Anhaltinus, Alberti I. Epiſcopi Halberſtad. Patruelis Rudolphi II. avus, quem quod a patruo vi dejectus Aſcania ditione, *Spoliatum* ſolent appellare. Licet vero Albertus II. tum nondum confirmatus, non dubitavit tamen amicam cum Bernhar-

do

do tentare compoſitionem; ſic quidem ut duobus ab utraque parte ſelectis arbitris præſideret,&litem dirimeret HenricusComesBlanckenburgicus.Qua de re lectu digna ſunt quæ aBudæo repetuntur ſcripta duo,utSaxonico idiomate,ita eo ſincerius ſine ullo fuco verborumque lenocinio loquentia a pag.XLVI. usque ad LXV.Sed ut de expeditionibus Alberti bellicis aliquid dicamus, de iisdem Annales Halberſtad.quos hoc nomine laudat Budæus, generatim ſic loquuntur: *Nec eſt ſilentio tranſeundum, quod idem Pontifex Dominus Albertus viginti vicibus & ultra, ut creditur, ſolemnes expeditiones tempore ſui regiminis innumerabili & copioſa multitudine equitum & peditum in armorum neceſſariis expeditorum, publice expenſis tentoriis, vexillis erectis, variis & diverſis inſtrumentis bellicis preparatis, caſtra inimicorum ſuorum circumvallavit, terras ipſorum incendiis depradationibusque potenter devaſtando.* Ac poſtea idem ſcriptor enumerat expeditiones eadem ferme ſerie, qua Winnigſtadius,modo ſequenti I. Ad arcem Guntekenburgum prope Quedlinburgum. II. ad Emerslebium. III. ad Gaterslebium.IV.ad Wevelingam.V.ad Heymburgum.VI. ad Derneburgum. VII. ad Falckenſteinium.VIII. ad Dahlum. IX. ad Lowenburgum.X. ad Gehrſtorfium. XI. ad Nonnarum montem juxta Quedlinburgum. XII. in ſtructura novi caſtelli Zevekenburgi. XIII. in condenda Heſſem. XIV. ad Warmſtorpium.XV. ad Groningam. XVI. ad Genſevordam. XVII. ad Querenvordam. XVIII. in Comitatu Mansfeldenſi. XIX. iterum ad Derenburgum. XX. ad Crottorfium. Etſi vero Budæus non injuria dolet ſcriptorum hujus ævi in his curatius deſcribendis negligentiam, ipſe tamen nonnullarum expeditionum cauſas & progreſſum quadamtenus eruit; quæ nec deſcribere, nec contrahere nunc vacat. Id tamen minime prætermittendum duximus, quod tum per has expeditiones bellicas, tum aliis modis Epiſcopatui ſuo adjecerit ſequentes arces & oppida, Falckenſteinium, Eneghemeslebium, corrupte quod nunc audit Ermsleben, Dahl, Zevekenburgum, Gaterslebium, Wolptingerodam, Crottorfium, Lowenburgum, Wevelingam, Gehrſtorfium, Slanſtedium, & Quedlinburgenſem civitatem veterem. Et Quedlinburgum qui-

 dem

dem an.cIɔccccxxvi.a Mansfeldicis & Regenſteinianis Comitibus preſſa ſponte ſe ſubjecit Alberti protectioni, L. Marcas pro ea quotannis ſolvere pollicita. Ceterum caſtrum in Valkenſtein & in Eneghemersleben cum oppido Burchardus Comes in Valkenſtein Eccleſiæ Halberſtadenſi jure proprietatis in perpetuum poſſidenda donavit anno cIɔccccxxxii.prout literæ donationis a Budæo repetitæ declarant. An.cIɔccccxxxiv. Jutta
1334. ſecularis Eccleſiæ Gerenrodanæ Abbatisſa cum Alberto Epiſcopo amice convenit de viſitatione,quam *auctoritate Apoſtolica* Epiſcopus exegit: quod pluribus patet ex literis a Budæo productis pag. xcvii. Et quoniam in ipſis his literis auctoritatis *Apoſtolicæ* fit mentio, non immerito conjicit Budæus, Albertum jam hoc tempore a Johan.XXII.in gratiam receptum,cum præſertim ad annum ſequentem ſe non ſemel nominet *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopum.* Eodem anno xxxiv. Epiſcopus Capitulo Halberſtadenſi arcem Hornburgum cum pago Sarckſtedio pro ſexcentis Stendalienſis monetæ marcis oppignoravit. Budæus pag. cii. Etiam capellam Swanbeccenſem ob hoſtias ab homine nefario defoſſas ibidemque repertas conditam conſecravit,cum magna Indulgentiarum pollicitatione. Budæus pag. cv. Quando autem & quo pacto hæc capella ad virgines Cœnobii S. Burchardi ante Halberſtadium devenerit, ſibi non conſtare, fatetur Budæus. Circa hæc etiam tempora motus cœpere Regenſteiniani, quos prolixe deſcriptos a Budæo breviter trademus. Antiqua Comitum Regenſteinianorum familia hoc,in quo verſamur, ſeculo quartodecimo, ac ſuperiori quoque, in duas lineas diviſa, quarum una ſedem habuit Regenſteinium, inter alia Schlanſtedium & dimidium Derneburgum ab Epiſcopatu Halberſtadenſi feuda recognoſcens bene ſemper erga laudatum Epiſcopatum affecta fuit. Id quod præ ceteris varia in pomœriis Halberſtadenſibus condita teſtantur cœnobia, de quibus in hiſtoria Hermanni XXVII. Epiſcopi nonnulla attulimus. Tum vero quod inter Diſcalceatorum monaſterium & Harslebienſem portam olim fuit ædium ad hos Comites ſpectaſſe, eosdemque hanc ipſam portam condidiſſe, inque rei memoriam cervum cupre-
um

um ibidem collocaſſe ſama eſt. Altera autem horum Comitum linea Hoimburgenſem arcem inſedit ac præterea Lowenburgum ad Hartzicam ſylvam, Gerſtorſium, Krottorſium, Neindorſium in poteſtate habuit. In his Vlricus Comes ex Sophia Anhaltina Albertum & Bernhardum genuit, qui Alberto Epiſcopo ſeudi Domino modis omnibus non dubitarunt ſe opponere, ejusque provincias ac ſubditos acriter infeſtare. Quod ut vehementer momordit Epiſcopum, ita ſingulari diplomate, quod apud Budæum pag. CXII. legere eſt, publice denunciare non dubitavit. Jam procul omni dubio non literis tantum, ſed & armis viriſque actum: quandoquidem a Regenſteinianis ceteri ad Hartzica Comites, ab Epiſcopi vero partibus fratres & agnati ſtarent. Inprimis autem Comites ex tribus, quæ in caſtra commutarant ad Quedlinburgum templis, excurſiones & rapinas exercuere graviſſimas. Quo de ſequentia Annalium Halberſtadenſium verba habent: *Hujusmodi vero inimicis ſedatis Comites de Regenſtein & fere cum omnibus nobilibus & Comitibus ante Hartonem inſurrexerunt contra Eccleſiam Halberſtadenſem & ex tribus Eccleſiis tria caſtra ante civitatem Quedelingheborg erexerunt, & incendiis & rapinis omnia inhumaniter devaſtantes. Ipſe vero* (Albertus Epiſcopus) *non ut mercenarius fugit: ſed ut bonus paſtor animam pro ovibus ſuis poſuit, congregata magna multitudine armatorum bene expeditorum, prædicta tria caſtra, fugatis & quibusdam inimicis captis potenter expugnavit, & civitatem Quedelingheborg ſic obſeſſam priſtinæ libertati reſtituit.* Tria illa caſtra erecta ſunt ex capella in monte, qui dicebatur der Capellenberg/ex cœnobio S. Wiprechti ad Bodam, & forte ex Mütnzerbergo. Anno tamen CIϽCCCXXXV. opera Ottonis Largi, qui frater erat Epiſcopi, diſſidia ſunt compoſita, iis ſcilicet pactis, de quibus diploma Ottonianum pag. CXVI. apud Budæum habemus teſtem: ex quo præter cetera apparet Regenſteinianis novam civitatem Quedlinburgi addictam, Comitatum vero Falckenſteinianum abjudicatum. *Illa autem ſeditione* (ipſo denuo Annal. Halberſtadenſium ſermone utor) *pacifice ſedata, non longe poſt iterum Comites de Reghenſtein ad vomitum ſicut canes redientes Eccleſiam Halberſtadenſem nimium crudeliter invaſerunt, Eccleſias confregerunt, Clericos captivos in vinculis detinuerunt, & quod miſerabilius eſt dicere, nec reli-* 1335.

gioſis viris, nec ſanctimonialibus pepercerunt. Et hæ quidem turbæ tamdiu durarunt, donec Albertus Comes de Regenſtein a civibus Quedlinburgenſibus caperetur. Cum enim Comes ille Quedlinburgicis omnimodis infenſus, ac in cœnobio S. Wiperti a ſe munito commoratus cives aliquot cepiſſet, quorum pars Altenburgum, pars Gerſtorfium miſſa, ceteri cives facta eruptione, ac re fortiter geſta, præfectos Comitis ad reddendos captivos compulere. Quod autem is ad hanc vindicandam, quam putabat, ignominiam tam Anhaltinos quam alios vicinos Comites excitaret, Quedlinburgum obſidione eo facilius cinxit, quod & Wipertinum monaſterium & civitatem novam in manibus haberet. Non deſtitere tamen Quedlinburgici ſe ſuosque ſtrenue defendere, erectis etiam duobus propugnaculis, unde catapultis aliisque machinis tum uſurpari ſolitis hoſti adeo incommodarunt, ut deſerta nova civitate Gerſtorfium aufugere neceſſum habuerit. Quem cum e veſtigio ſequerentur oppidani, multis ſuorum cæſis ipſe Comes ad Hackelam piſcinam captus, prægrandi arcæ ligneæ, quæ hodie Quedlinburgi ſuperat, incluſus, acerbisſimeque ultra annum tractatus eſt. Jam ex ſententia Cæſaris decretum erat de ſupplicio Comitis, jamque coemtum erat nigrum velum reo capite plectendo ſubſternendum: cum Comes, quod diu negaverat, conditiones durisſimas acciperet, in quibus etiam mœnium & ſeptem turrium ad Auſtrum ſtructuram, ac Rambergenſis ſylvæ ceſſionem fuiſſe volunt. Alberto autem Epiſcopo una cum fratre Bernhardo advocatiam Quedlinburgenſem ſartam tectam relinquendam, ſingulari cavit Syngrapha a Budæo pag. CLIX. allata. Præterea nova vectigalia tam in ditione Regenſteiniana, quam dioeceſi Halberſtadenſi abolita: uti denuo patet ex diplomate pag. CLX. a Budæo transſcripto. Et ſic quidem anno CIƆCCCXXXVIII. Regenſteinianum illud bellum plene planeque fuit compoſitum. At enim ferventibus his externis turbis, inteſtini motus coepere anno
1336. CIƆCCCXXXVI. inque tertium usque annum Epiſcopatum gravisſime concuſſere. Cauſæ horum malorum nondum forte ſunt detectæ, niſi quod Budæus unam videatur aſſecutus,

quan-

quando Henricum a Zervvitz, contra majorum morem Eccleſiæ B. Mariæ Canonicum ab Epiſcopo obtruſum oſtendit. Præcipuus autem incentor, faxque ac tuba ſeditionis fuit Jacobus Schnelhart (Winnigſtadius Schnelradium vocat) quem Albertus ex officiali aulæ Epiſcopalis, Canonicum B. Mariæ, parochum Oſtervvicenſem, Canonicum majoris Eccleſiæ, ac denique Decanum majorem creaverat. Is quam ingratus fuerit cuculus, non tacent Annales Magdeburgenſes, quorum auctori forte homo nequam non ignotus erat. Sic vero ille nobis depingit Schnelhartium: *Quid plura? res & honores ſibi credidit, & ſic dilatavit, impingvavit, incraſſavit, propter quod recalcitravit, Dominum ſuum derelinquens & fautorem, immemor omnium beneficiorum illorum, & quod horrendum eſt dicere, juramenti præſtiti oblitus, quo ſpiritu ductus, nemo ſanæ mentis dubitat, quandam conſpirationem cum quibusdam Canonicis contra Dominum ſuum Epiſcopum occulte fabricavit, quam tamen idem Dominus cum quibusdam Canonicis non conſentientibus, ut debuit, impugnavit. Vnde Jacobus Schnelhart ſuper depoſitione & deſtitutione ſui Epiſcopi fortisſime laborabat, ita quod aliam quandam conſpirationem priore pejorem cum civibus Halberſtadenſibus iniit contra Eccleſiaſticam libertatem.* Atque inprimis id egit Schnelhartius, ut inter Eccleſiarum Collegiatarum, S. Stephani, B. Mariæ, S. Bonifacii & S. Pauli quadrigam fœdus quoddam pangeretur, ex quo ſi unus forte Canonicorum premeretur, omnes & ſinguli tanquam ad exſtinguendum commune incendium concurrerent, priſtinam libertatem defenſuri. Quid igitur ad hæc Albertus? Ægre ferre unionem, indignari, pro conjuratione ſibi Eccleſiæque inimica habere, cumque modi amici nihil proficerent, duriora tentare, ac excommunicationis fulmen in refractarios vibrare: cum interea pars adverſa ſive ad Benedictum XII. Papam, ſive ad Henricum Virnebergium Moguntinum Archiep. cauſam deferret. At vero ne malum latius ſerpendo majoribus motibus fores aperiret, obicem opponere conatus Otto Brunſv. Dux, Alberti frater, eo rem redegit, ut quatuor Eccleſiarum Canonici pollicerentur, ſe Epiſcopalibus impenſis fœderis exemplum ad Pontificem miſſuros, ejusdemque definitionem, an

legiti-

legitimum foret, nec ne, ratihabituros. De eo ſic ipſe ſcribit Epiſcopus, iis literis, quas Budæus pag. CXXXIII. exhibuit: *Per inclytum Principem, Dominum Ottonem Ducem de Brunſvvick, fratrem noſtrum dilectum, talis compoſitio intercesſit, quod dictæ literæ Vnionis mittendæ ſunt ad Curiam Romanam, ſuper ipſis conſultatione unius Doctoris vel plurium facienda, an eædem literæ debeant vel poſſint ſubſiſtere de ordine juris, vel non. Quam conſultationem ſuper ipſis pronunciatam Nos cum dictis Canonicis & Capitulorum prædictorum perſonis grato animo inconcuſſam, prout juridicam, debemus obſervare.* Quid de hac transmisſione factum, & an reapſe Canonici compleverint promiſſa, non habemus dicere. Contrarium tamen videtur ex eo prope relucere, quod Schnelhartius novam conjurationem veteri peſtilentiorem cum Senatu populoque Halberſtadenſi commentus, omnia pervertere, ac ima ſupernis miſcere non erubuerit. At huic quoque malitiæ obviam ivit optime de fratre ac Epiſcopatu ejus meritus Otto, ſublatoque rancore partes reconciliavit, teſte diplomate, quod Budæus pag. CXXXVIII. primus in lucem attulit. Neque tamen hæc animorum reconciliatio durabilis fuit. Nam quia Albertum reperimus anno CIↃCCCXXXVII. clericos nonnullos anathemate percusſiſſe, gravisſimis cauſis ad id compulſum utique probabile.
1337. Imo ex Annalibus Halberſt. eluceſcit, Schnelhartium alteram cum Senatu conſpirationem non modo ſigillo Conventus majoris feciſſe confirmari, ſed & Capitulum Halberſt. populo quodammodo ſubjeciſſe. Verba Annalium ſubjungo: *Eam conſpirationem ſigillo Capituli, multis fratribus de Capitulo & Epiſcopo contradicentibus ſigillavit. Obligavit enim Eccleſiam Halberſtadenſem perpetuæ exactioni, dando civibus Halberſtadenſibus, & ſic Eccleſiam Halberſtadenſem, matrem & Dominam plenam, populo, quod plorando pronunciandum eſt, fecit ſub tributo.* Hinc igitur ab Epiſcopo itum ad Henricum Archiepiſcopum Moguntinum, qui Halberſtadium ad explorandū ſedandumq; motus miſit Magiſtrum Albertum de Gotha: a quo Schnelhartius cum complicibus dignitatibus ac beneficiis privatus eſt. *Super qua conſpiratione* (ſic loquuntur Annales) *ad querimoniam Domini Alberti, Archi Epiſcopus miſit Magiſtrum Albertum de Gotha ad inquirendum de verita-*

veritate conſpirationis, qua inventa, auctoritate Statutorum provincialium predictum Jacobum beneficio & officio ſententionaliter cum ſuis ſequacibus privavit. Tantum vero abeſt, ut hæc pœna emolliverit Schnelhartium, ut potius ira in rabiem verſa, ac totus in fermento jacens, omnes vires ad pervertendum Albertum collegerit. *Propter quod* (Annalium verba denuo repeto) *idem Jacobus Schnelhart ſuam lingvam ut gladium acuit, & non ſolum in verba prorupit blaſphema & ſchismatica, ſed & inſana, putans maledicere fore bonæ conſcientiæ ſignum, & quod veritate non poterat, ſaltem cum vitiis præſumſit eundem dominum ſuum lacerare.* Neque irriti fuerunt hi conatus peſſimi. Etenim cum Albertus Epiſcopus templum Cathedrale & B. Mariæ Senatus Halberſt. ope clauſiſſet, ac viros quosdam graves & ſplendidos ad Eccleſiam S. Pauli ablegaſſet, ad ſacris interdicendum clerico, repente oritur tumultus, clauſisque civitatis portis populus aggreditur legatos, eosdemque una cum Magiſtro Alberto de Gotha nec paucis aliis nefarie trucidat. Et actum fuiſſet de ipſius Epiſcopi vita, niſi mœnia tranſiliendo fuga ſalutem quæſiviſſet. Annales Halberſtadenſes rem totam ſic deſcribunt: *Cum etiam ratione hujusmodi conſpirationis quidam Canonici, Vicarii & Plebani civitatis Halberſtadenſis contra mandatum ſuum divina ſolemniter celebrarent, quod ſpirituali gladio non poterat, ſeculari brachio cum conſilio & auxilio ſuorum Conſulum & civium Halberſtadenſium attemptavit: Kathedralem Eccleſiam & Beatæ Virginis invite clauſit; & aſſumtis clavibus earundem, ne claves contemnerent, & nervos Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ad idem faciendum miſit Clericos ſuos ſolemniores cum Laicis multis ad Eccleſiam ſancti Pauli, ut quendam prophanum celebrare probiberent: quod cum facerent reverentia, qua decuit, inſurrexerunt filii iniquitatis, imo ut verius dicam, non filii, ſed privigni & nepharii præſumptores, quos item Epiſcopus nutrivit, videlicet Conſules una fere cum omnibus civibus, armata manu, deliberato animo, ſicut boves & aſini non cognoſcentes poſſeſſorem ſuum & præſepe, & portis civitatis undique clauſis, tanquam furioſi cum gladiis & fuſtibus, tumultu horribili & inhumaniter deteſtanda ſevitia ſic ſitientes mortem Clericorum & Laicorum ab Epiſcopo miſſorum, & ut experientia docuit, per aſſiſinos interfecerunt Magiſtrum*

Henricum, Decretorum Doctorem, Magiſtrum Albertum de Gotha, in Jure Canonico peritum, duosque alios ſcholares, alios quoque Clericos & Laicos captivarunt, & captivos detinuerunt, nec ſolum vivos, ſed jam mortuos ſpoliarunt, & multis vulneribus martyrizaverunt: & ſic ſævierunt factis & verbis, quod idem Dominus Epiſcopus per murum civitatis, cum alias fugere mortem non poſſet, cecidit, & ſic evaſit, & ſic peccatum addiderunt ſuper peccatum. Winnigſtadius ab his multum abit, neſcius fugæ Epiſcopi, & cædis legatorum, ac e contrario Schnelhartium ope fratris laici ex cœnobio Michelſteiniano, ſupra muros evaſiſſe tradens. Denique
1338. anno CIƆCCCXXXVIII. & hi periculoſi motus ſunt compoſiti, literæque conſpirationis ante Halberſtadium, præſente Epiſcopo, in frequenti concione dilaceratæ, ſublatoque viciſſim Epiſcopali anathemate Epiſcopus ſumma cum pompa in civitatem & cathedralem Eccleſiam receptus eſt. *Sic igitur,* inquiunt Annales, *matre litium & materia jurgiorum diſcordia intus & extra regnante, ſeminatore ipſius diſcordiæ, ut creditur, ad capiendas animas hoc procurante, & ultra biennium Dominus in ſe ſperantes more ſolito non dereliquit, ſed Eccleſiam B. Protomartyris ſui Stephani in periculis fluctuantem oculis miſericordiæ ſuæ antiquæ reſpexit, & corda diſcordantium prius Pharaonis cordibus duriora in mollia & flexibilia commutavit: ita quod hi, qui prius diſperſi fuerant & diſcordes, in unum per concordiam congregavit. Nam conſpiratores conſpirationis literas ſuis Capitulorum & civitatis Halberſtadenſis* (ſigillis) *firmatas, a qua conſpiratione, ut rerum magiſtra experientia docuit, prodiit omne malum, in locum, qui dicitur* Warteſhoch/ *extra civitatem ante valvam S. Johannis deportarunt, ipſasque ad rumpendum voluntarie tradiderunt in præſentia ipſius Pontificis, ſibiq; adhærentium aliorum etiam clericorum, militum, famulorum & civium fere millium ad hoc ſpecialiter congregatorum. Qua conſpiratione maledicta tradita, & corrupta, tantus jubilus & exultatio a Clero & populo fuit, quod exprimi vix poſſet lingua humana. Nam oves perditæ ſunt inventæ, & filii prodigi ſubſtantiam ſuæ fidei diſſipantes ad Patrem & paſtorem ſunt reverſi, & ab eo hilariter ſunt recepti.* Introductioni Epiſcopali præter Comites, Dynaſtas & nobiles, adfuere Magnus & Erneſtus, Epiſcopi fratres, itemque

que ex fratre Magno nepos Johannes, ut & Wilhelmus pa-
truelis, Ottonis Strenui filius, quos diſerte nominant Annales
Halberſtadenſes. Juramentum, quo ſe Epiſcopo recenter obli-
garunt cives, his conceptum fuit verbis: **Dat we uſeme Herren
Biſchoppe Albrecht van Halberſtadt/ de hir to jeghenwordich is / al-
ſo truwe und alſo holt ſin/ alſo Börgere to rechte ſchullet oreme Her-
ren/ und ſcholet öme behülpen weſen/ und ſine Stadt to Halberſtadt
ome holden to allen ſynen nůdden und nöden. Dat us Gott alſo helpe/
und ſine Hilghen.** De certo reditus tempore ſollicitus eſt Budæ-
us, eundemque ſive Aprili exeunte, ſive ineunte Majo factum,
non improbabilibus argumentis oſtendit. Quorſum autem
Decanus Schnelhartius pervenerit, & an placido defunctus fato,
non perſpectum fuit Budæo, ſic tamen, ut nomen ejus in di-
plomatibus Halberſtadenſibus usque ad an. CIϽCCCXLI. anno-
que CIϽCCCXLIII. M. Themonem Alberti Protonotarium ſuc-
ceſſorem ejus repererit. Anno XXXIX. Albertus Epiſcopus una 1339.
cum fratribus & cognatis inviſit diætam Lubecæ inſtitutam.
*Colloquium fuit de generali terrarum pace, deque innocuo itinerantium
tranſitu, ut interdicantur latrocinia: jurataque pax eſt in ſex annos:*
quæ verba ſunt Krantzii *Vandal.* lib. VIII. cap. XIX. Hoc itidem
anno Epiſcopus Oſcherslebienſem arcem pro tribus millibus
& ſex marcis Stendalienſibus oppignoratam redemit. Et in
hoc ipſo anno finit Gvil. Budæi dimidiæ vitæ Alberti II. hi-
ſtoria: ac non immerito dolemus reliquorum XVII. annorum
geſta deſiderari. Sed is fuit mos Budæo, qui multa auſpicatus,
pauca feliciter perficeret: quod jam tum in exordio præſentis
hiſtoriæ §. II. monuimus, Interim pauca quæ ex Budæo ali-
isque conſarcinavimus ad reliquam vitam Alberti pertinen-
tia afferemus. Anno CIϽCCCXL. Otto Archiepiſcopus Magde- 1340.
burgenſis in cauſa Aſcanienſi inter Bernhardum III. Spoliatum
& Epiſcopum ac Eccleſiam Halberſtadenſem eligitur ſupremus
arbiter, qui laudum quoque, quod liti finem imponeret, pro-
nunciat. Anno CIϽCCCXLIII. Albertus Epiſcopus cœnobium Pä- 1343.
veleriorum Ord. Prædicatorum Brunſwici conſecravit. In annū
CIϽCCCXLVII. refert Budæus proviſionem de Epiſcopatu Hal- 1347.

 berſta-

berſtadenſi, quam ab egreſſu Giſeconis de Holſatia Albertus Comes Mansfeldicus a Clemente VI. contra Albertum. II. acceperit. Circa hæc etiam tempora Comites Mansfeldiani & Regenſteiniani, ut & civitas Northuſana multum damni inferebant diœceſi Halberſtadenſi, ipſamque urbem in feſto Natalitiorum Chriſti per inſidias occupantes cædibus crudeliter ſæviebant. *Vrebat Epiſcopum* (ita Krantzius Sax. l. IX. c. XXVIII.) *contumelia & ſuorum inſigne detrimentum, Præfectum armis habebat virum fortem, & prælio audentem, qui multa ſæpe damna Comiti irrogaſſet. Quam ſancte jurabat Comes, illum, ubi caperet, arbori quam proximam cerneret, appenſurum. Tum ille. Quid ſi legem patiaris quam tuliſti? Non abibat annus: obvii ſibi æquis viribus in campo fuere: congreſſi præliantur: Comes ſuperatur. In arborem volens appendere Comitem præfectus, nullam reperit. Ergo gladio transfoſſum, lanceæ in terram fixæ velut appenſum alligavit, non iniquo judicio paſſus ab hoſte, quod prior ipſe irrogaturum ſe perduellioni ſuperbus minitabatur.* Tangit hoc Engelhuſius, ſed paucis his: *Halberſtadenſes vicerunt Ragenſteinenſes, ubi cum ceteris interfectus eſt Albertus Comes de Regenſtein.* Anno CIƆ
1351. CCCLI. EpiſcopusSenatui Quedlinburgenſi quoddam dedit pri-
1352. vilegium a Budæo tactum pag. VI. Anno CIƆCCCLII. Innocentius VI. Papa in ſolium collocatus Pontificium Albertum Epiſcopum multis modis inſectatus: qui & in bulla quadam an.
1358. CIƆCCCLVIII. data non verecundatur ſcribere: *Albertus dudum in Halberſtadenſi Eccleſia contra reſervationes & decreta ſedis Apoſtolicæ ſe intrudens Eccleſiam ipſam & Epiſcopatum Halberſtadenſem de facto occupavit & per* XXXII. *annos vel circiter detinuit, prout adhuc detinet damnabiliter occupatos, ſe adminiſtrationi eorundem Eccleſiæ & Epiſcopatus in ſpiritualibus & temporalibus ingerendo, ac impediendo per ſe & alios, quo minus quondam Ghiſelbertus de Holzatia primo, & deinde quondam Albertus de Mansfeld electi Halberſtadenſes, per dictam ſedem præfatæ Eccleſiæ ſucceſſive præfecti in Epiſcopos & Paſtores poſſeſſionem Eccleſiæ & Epiſcopatus prædictorum potuerint adipiſci, propter quæ idem Albertus de Brunsvvich latas in eum autoritate Apoſtolica excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliasque ſententias atque pœnas incurriſſe dinoſcitur.* Sed hoc ipſo anno CIƆCCCLVIII. poſtquam in-

invitis Romanenſibus diœceſi ultra xxx. annos præfuiſſet, coactus tandem furori eorum cedere, pedum vitamque reliquit. Winnigſtadius Brunſwici in æde San-Blaſiana ſepultum tradit.

§. LXV. Vivo igitur adhuc Alberto cathedram Epiſcopalem aſcendit LVDOVICVS Marchio Misniæ, Friderici filius. Hic anno CIↃCCCLXII. *cum exercitu magno obſedit civitatem Isleben, & territorium hinc inde devaſtabat contra Comitem de Mansfelt, imponens ei, quod plura caſtra & bona ad Eccleſiam Halberſtad pertinentia injuſto titulo posſideret. Et quia Epiſcopus cum ſuo exercitu recepit ad monaſterium Sechaenbech Ordinis Cyſtertienſis, & ibi refugium habuit; ideo poſt receſſum Epiſcopi Comes conventum monachorum intravit, & omnibus rebus ſpoliavit Abbatem, & monachos cepit, vinculavit, diverſis cruciatibus ipſos tormentavit, & aliquos ut tyrannus maximus occidit.* Auctor de Landgrav. Thuringiæ in opere Piſtorii cap. CXII. At enim eodem anno pacem fuiſſe reſtitutam nos docuit Budæus, qui in *vita Alberti II.* pag. XXXIII. pollicetur, ſe Inſtrumentum pacificationis inter Ludovicum Epiſcopum & Buchardum Com. Mansfeldium verbotenus loco ſuo adducturum. Ex quo cum octo annis Halberſtadenſem Eccleſiam rexiſſet, ad Bambergenſem evocatus, diſceſſit. Poſtquam deinceps cum Adolpho Naſſovio de ſede Moguntina decertaſſet, ac porro Magdeburgenſem Præſulatum recepiſſet orto in curia Calbenſi, ubi choreis indulgebat, leviculo incendio, cum cetera turba aufugiens, graduum ruina oppreſſus miſere occubuit anno CIↃCCCLXXXI. Graphice hunc interitum deſcribit Krantzius *Metrop.* lib. x. c. XXIII. & *Saxon.* lib. x. cap. V. Sub hoc Epiſcopo Horneburgum Brunſwicenſibus quondam oppignoratum ad Halberſt. ditionem rediiſſe, itemque novæ Halberſtad. curiæ fundamenta fuiſſe locata, commemorat Winnigſtadius.

XXX.

1362.

§. LXVI. Quandoquidem igitur ad Bambergam abiit Ludovicus, Vrbanus V. Pontifex Romanus Halberſtadenſibus Præſulem dedit ALBERTVM III. agricolæ Riemerſtorfiani filium, virum doctrina ſingulari, ac inprimis Philoſophi- XXXI.

ciſ ſtudiis egregie imbutum. Pragæ Magiſter, Pariſiis Doctor creatus, ibidem publice in Jure & Philoſophia prælegit auditoribus. Joh. Trittenhemius eum inter viros, eruditione illuſtres in Germania, Scriptoresque Eccleſiaſticos retulit. Engelhuſius ipſum Logicam compoſuiſſe ſcribit. Krantzius *Metropol.* l. IX. c. LIII. *Exſtant de ejus nomine*, ait, *quæ vocantur Alberti Sophismata.* Inter alia hujus Epiſcopi memorabilia eminet, quo ſe immiſcuit Magni Brunſwicenſis Ducis cum Gerhardo Antiſtite Hildesheimenſi bellum, quo ſuperatus captusque locum proverbio fecit, Logicam a Rhetorica victam. Gerhardum enim eloquentisſimum fuiſſe Oratorem fama eſt. De hoc prælio Auctor Compilat. Chronolog. a Piſtorio editus: *Anno Domini* CIↃ
1367. CCCLXVII. *prælium prope Hildesheim committitur circa villam, quæ dicitur Gheimesſen. Vero Dux Magnus ſenior de Brunſvvig & Epiſcopus Halberſtadenſis ſunt captivati cum multis nobilibus, militibus & armigeris.* Victorem vix IↃ habuiſſe armatos, & CIↃIↃ. tamen cepiſſe auctor eſt Theodoricus Engelhuſius. Fuſius pugnam deſcribunt Krantzius *Metropol.* lib. IX. c. LIII. Buntingius *Chron. Brunſv.* part. I. pag. CCXLV. & part. II. pag. CCCCXI. Proverbium illud Germani noſtri ita extulere: Rang überwand den Klang. Etiam diſtichon de eo circumfertur tale:

Rhetore cum quando geſſit Dialectica bellum,
Ecce dedit victas Dædala lingva manus.

1368. Anno CIↃCCCLXVIII. caſtrum Gunnenschlebienſe haut procul Hademerslebio fuit dirutum, cujus cauſas ſe eo anno laturum pollicetur Budæus *in vita Alberti* pag. CLXXII. Anno CIↃ
1369 CCCLXIX. Eccleſiis Collegiatis Halberſtadenſibus privilegia confirmat Epiſcopus, inter alia his verbis in diplomate uſus. *Hinc eſt, quod Nos clerum, & quamlibet perſonam cleri ſingulariter cujuscunque Collegii, videlicet Eccleſiæ noſtræ Halberſtadenſis, S. Mariæ, S. Johannis, S. Bonifacii, S. Pauli, infra & prope civitatem Halberſtat, in libertatibus, immunitatibus, juribus, bonis, & rebus infra urbem Halberſtat, & extra, nec non infra ſepta & libertates cujuslibet Collegii, & etiam extra ſepta & libertates eorundem Collegiorum, & in reditibus ipſorum, vel alterius eorundem, ubicunque & in quibuscunque locis ſitis,*

tis, nec non conſuetudinibus hactenus obſervatis laudabilibus & honeſtis, pro toto noſtro poſſe & noſſe ſervabimus, & per nos fideliter conſervari faciemus, nec aliqua damna ſeu moleſtias aut injurias ipſis, ſeu cuilibet ipſorum per Nos, aut quemque Noſtrorum, ſeu aliam ſubmiſſam perſonam, in perſonis ſeu rebus, aut aliquo præmiſſorum inferemus vel inferri permittemus, ſed ipſos, & quemlibet ipſorum in præmiſſis & quolibet præmiſſorum defendemus contra quoscunque, pro poſſe bona fide. An. CIƆCCCLXXIX. Brunſwicenſes Hornburgum vi occupatum Epi- 1379.
ſcopo donaſſe dicuntur apud Buntingium *Chron. Brunſvv.* pag.
CCLIX. Obiit Epiſcopus anno CIƆCCCXC. teſte Auctore Compila- 1390.
tionis Chronologicæ.

§. LXVIII. In ejus locum electus eſt *unus de Honſtein*, ut idem Auctor Compilat. refert. Prænomen huic Comiti fuit
ERNESTUS. Krantzio *Metrop.* l. x. c. XXXVIII. *Vir* audit XXXII.
ſeverus & induſtrius, & juxta nomen ſuum gravis. Winnigſtadius
Præpoſitum Fritzlarienſem antea fuiſſe refert. Anno CIƆCCCXCVI. 1396.
hic Epiſcopus Advocatiam in Quedlinburg Senatui illius civitatis oppignoravit, teſte Budæo in *vita Alberti II.* pag. LXXXI. *Eidem erat aſſiduum bellum* (quæ verba ſunt Krantzii in *Metropoli*) *in Fridericum Ducem Brunſvvicenſem, æque gravem & ſeverum Principem, & qui nihil diſſimularit aut minorationis, aut injuriæ. Nulla unquam compoſitione adeo firmari potuit inter eos familiaritas, aut integritas reformari, quin levisſimis ſemper cauſis diſſiliret.* Canonici ab hac ſeveritate Epiſcopum dehortati nihil profecere, imo is Præpoſitum ex proceſſione ſolemni in cathedralis templi ambitu inſtituta per poſticum raptum vinciri, Groningam deduci, ac ſtrangulari fecit. Quo facto ad Pontificem delato excommunicatus eſt, (cauſas excommunicationis fatetur ignorare Krantzius *Metrop.* l. XI. c. II.) ac gravi lue correptus anno CIƆCCCXCIX. 1399.
Wegelebii animam exhalavit. *Veneno necatum* tradit Engelhuſius. Diu in ſarcophago plumbeo ſtetit inhumatus, donec a Gregorio XII. anathemate ſolutus in æde cathedrali ſepeliretur. Quod autem interea Comites Hohnſteiniani graviter premerent diœceſin, Canonici a civibus Halberſtadio pulſi ſunt, qui propterea fulmen banni Pontificii adverſus civitatem impetrarunt.

trarunt. Quæ res effecit, ut omnes monachi urbem relinquerent, præterquam Diſcalceati, qui privilegio quodam confiſi manentes & ſacra obeuntes magnas collegere divitias, quas ſtructuræ magnifici templi impenderunt. Per hujus Epiſcopi Erneſti excommunicationem cœpit primum Suffraganei munus, quod deinceps perduravit, cum ſequenti titulo: *N. Vicarius in Pontificalibus Domini noſtri Reverendiſſimi N. Halberſtadenſis Epiſcopi.*

§. LXVIII. Vivo Alberto unum atque item alterum oppoſuit Papa Bonifacius IX. quos cum vi excluderet Erneſtus II. tandem a Canonicis ad RVDOLPHVM II. Principem
XXXIII Anhaltinum itum, qui tamen nonniſi ab exceſſu Alberti mitram Epiſcopalem recepit. Sedulitatem ejus in viſitandis ac in meliorem ſtatum reformandis cœnobiis commendat Winnigſtadius. Idem ejus cum Gunthero Archiepiſcopo Magdeburgenſi bellum memorat, quod anſam dederit disſidiis inter ipſum & cives Halberſtadenſes, quos propterea excommunicatos tradit Krantzius *Saxon.* lib. X cap. XX. cujus contextum adſcribemus: *Rudolphus Comes de Anehald, Epiſcopus Halberſtadenſis, per ea tempora cauſam intentavit burgenſibus ſuis. Illi averſi mandatis, Pontifici ſe ſuo oppoſuere: ille, gladium in eos diſtringit ſpiritualem, usque ad divinorum interdictum. Clerus omnis quum parere neceſſe haberet, & ſe tutum in urbe non ſperat, cesſit loco, in vicina oppida dilapſus: nec enim niſi divinum celebrarent officium, in urbe paterentur. Fratres mendicantes tum honori Eccleſiæ matricis (ut tenerentur) deferentes, una ceſſere, paucis ad cuſtodiam domorum relictis. Nonnulli ſeculares ſancta profanarunt: ſed illi poſtea merita ſunt aſſecuti præmia. Pacata autem res eſt intra annum, ut quisque ſuo loco reſtitueretur.* Abiit vita anno
1407. CIↃCCCCVII.

XXXIV §. LXIX. *Quem cum fata virum raperent, HENRICVS honeſto*
Illuſtrique loco natus ſucceſſit eidem,
Pacificus Præſul, majori dignior ævo.

Ita de novo Epiſcopo ex Warbergenſibus Dynaſtis oriundo canit Melchior Neofanius. Anno CIↃCCCCVII. inter Capitulum univerſumque clerum ac Senatum item Halberſtadenſem hactenus diſcordantes reducta eſt concordia, ope hujus Epi-

Epiſcopi, Vlrici Comitis Regenſteiniani, Ludolphi Dynaſtæ Warbergenſis, Senatus Quedlinburgenſis & Aſcherslebienſis. Qua de re teſtem habemus diploma, hoc modo finiens: Und we Henrick gekohren und geſtediget to einem Biſchoppe to Halberſtadt/ Olrick Graffe to Regenſtein/ Herr Ludeloff Edele van Warberge/ Hanß Schencke/ Everdt und Berndt van Hoym/und Berndt van der Aſſeborg bekennen in duſſem open Breve/dat we alle dußé vorgeſchrevene Stucke in der Frunſchop und mit gudem willéhre an beyden Sieden ſchededinget hebben/ twiſchen unſen Heren den Domheeren und der gantzen Papheit to Halberſtadt/up einer Sied/ und Rath und Börger gemeinglicken to Halberſtadt/ up der andern Sieden/und hebben deß unſe Ingeſegel umb beede willen beyder Partheyen/ bey des Rathes van Halberſtadt Ingeſegel wetlicken laten hengen an dußen Breeff. Gegeven to Quedlinborg/ na Goddes Bohrt veertein hundert Jahr/ darna in dem ſevenden Jahre/ Sonnavendes na unſer leven Fruwen dach alß gebohren warde. Præfuit Epiſcopus Eccleſiæ ſolis quatuor annis, teſte Krantzio *Metrop.* XI. cap. VIII. ac cum maximo totius diœceſios luctu ex his terris migravit an. CIↃCCCCXI. Auctor eſt majoris piſcinæ ad Groningam, ac hebdomatim egenis piſces curavit diſtribui. 1411.

§. LXXI. Poſt brevem igitur Henrici Pontificatum ſurrogatur ALBERTVS IV. natus Comitibus de Werningerode. XXXV. Hujus temporibus ortum eſt bellum contra Nobiles Swicheldios, qui vaccas ex diœceſi Magdeburgenſi abegere: quas cum repetitum iret Otto de Warberge, Henrici Epiſcopi frater, juxta Derneburg ex inſidiis trucidatur. Hinc anno CIↃCCCCXI. obſeſſa Swicheldiorum ſedes Hartzburgum, ſed per hyemis intemperiem deſerta. At ſequenti anno cum Epiſcopo noſtro reverſi Henricus & Bernhardus Duces Brunſwicenſes, ut 1412. & Guntherus Magdeburgicus, obſeſſosque in tantas anguſtias coegere, ut deſerta arce fuga ſibi conſulerent. Quamobrem a fœderatis confractum munimentum ac æquatum ſolo. Videatur Krantzius *Metropol.* lib. XI. cap. XII. quem ſequitur Buntingius in *Chron. Brunſvv.* pag. CCCCXIV. Auctor Compilationis Chronolog. tangit his verbis: *Anno Domini* CIↃCCCCXIII. *Ipſo die* 1413.

 beati

beati Benedicti, in Quadrageſima, caſtrum Hartesburg capitur ab Epiſcopo Magdeburgenſi, Epiſcopo Halberſtadenſi, & Duce Bernhardo de Brunſvvig. Engelhuſius autem iſtis: *Caſtrum Hartesborch ab Epiſcopis Magdeburgenſi & Halberſtadenſi & Duce Brunſvvick deſtruitur.* Poſtquam hic Epiſcopus ſeptem annis diœceſin rexerat, vitam cum morte commutavit an. cIↄ
1418. ccccxIIX. quodque ultimus eſſet Comitum Wernigerodæ, Comitatus ad Stolbergenſes Comites transmiſſus eſt.

LXXII. Deinceps unanimi Canonicorum conſenſu in E-
XXXVI piſcopum electus eſt JOHANNES Nobilis ab Hoym, ex miniſterialibus Halberſtadenſis Eccleſiæ. Ejus temporibus gravis ſeditio Halberſtadium exercuit: cujus hiſtoriam ex Win-
1420. nigſtadio contractam recenſebimus. Anno cIↄcccxx. aliquot ex civibus primariis, & in his quidam Matthias cognomento Longus, Senatui infeſti proſcribebantur. Intercedentibus autem externis Principibus, cum vitæ melioris ſpem facerent, recipiebantur. Verum vindictæ cupidine agitati homines an. cIↄ
1423. ccccxxIII. plebi perſvaſere, Senatum publicam pecuniam intervertere, ac nihil magis quam ſubditorum ſpectare perniciem. Hinc orto tumultu, quos poterant in partes tractis, confectoque vexillo, impetum faciunt in domos quorundam Senatorum, quas diripiunt nefarie, ac hos quatuor, Volcmarum Lobecium, Henningem Adeslebium, Buſionem Bertramum, Henricum Zachariam, in publicum carcerem compingunt. Quamobrem plures alii, ut imminentibus periculis ſe ſubtraherent, clanculum urbe exceſſerunt, quorum domicilia rapinis ſpoliisque expoſita. Interea Matthias Longus & Wernerus Reineke Conſules a plebe tumultuante facti novam poteſtatem in omnimodam convertebant licentiam. Quod cum renunciatum eſſet Epiſcopo, in præſenti rem omnem, ac imprimis captivorum cauſam cognoſcendi cupidus, a ſeditioſis excludebatur, tam dictis, quam ſcriptis ejus inſuperhabitis. Ac tum de vita quatuor Senatorum actum, qui in foro indicta cauſa capite plexi, eorumque corpora in foveam cœmeterii Martiniani conjecta ſunt. Engelhuſius hoc ſupplicium levi perſtringens

bra-

brachio, inquit: *Halverſtat de concilio potiorum quatuor decollati ſunt a vulgo, multis incarceratis.* Auctor Compilat. Chronolog. *Anno* CIϽCCCCXXIII. *ſeditione concitata quatuor de Conſulibus in Halberſtat decollati ſunt.* Cognati interfectorum graviter de eo apud Sigismundum Imp. ac civitates Hanſicas queſti, eorum auxilium implorabant: cum interim Matthias Longus factioni ſuæ adverſantes gravisſimis exactionibus premens, hoc tumultuario regimine prope per biennium licenter abuteretur. Tandem civitatum Hanſicarum legati Brunſwici convenientes quomodo hi motus compeſcendi, deliberabant, ac cum Epiſcopo ſic conveniebant, qui ſtato tempore utraque pars cum lecta militum manu haut procul Halberſtadio comparerent. Quo facto ſeditioſos ut rationem uſurpati regiminis redderent, citabant, quibus comparere detrectantibus denunciabatur, non prius ſe urbem deſerturos, quam totius imperii auxilia in refractarios contraxiſſent. Hinc vis intentabatur urbi, ac tormentis quatiebantur muri aliaque eminentiora ædificia. Quapropter perterrefacti cives murmurare contra Matthiam, qui ſibi cauſæque timens, ſumpto habitu agreſti, cum filio aufugit; ſed ab auriga agniti, capti & Comiti Regenſteiniano, ac ab eodem porro Præſuli ac civitatibus traditi ſunt. Nec minus cives Johannem Matthiam, Longi fratrem, & Wernerum Reinecken dedidere: qui legitime accuſati, majusque ſupplicium meriti, capite plexi ſunt. Tangit hoc iterum Compilatio Chronolog. ad ann. CIϽCCCCXXV. verbis ſequentibus: *Halberſtat a proprio Epiſcopo & decem & octo civitatibus obſeſſa. Quatuor de principalioribus ſeditioſis capti decollabantur in vindictam.* Et Engelhuſius: *Civitas ab aliis civitatibus bannita tantum infeſtabatur, quod ultro de aſſumtis Conſulibus quatuor tradiderunt interficiendos.* Quatuor autem Senatorum cadavera effoſſa ex cœmeterio in templum Martinianum translata, iisdemque altare ſumtibus populi Halberſtadenſis impoſitum. Quia vero civitatum Hanſicarum legati intelligebant Epiſcopum conſilia de imminuendis civitatis privilegiis agitare, omnem lapidem, ne hoc fieret, moverunt: neque tamen perficere potuerunt, quo minus advocatiam ab anteceſ- 1425.

ſoribus Senatui Halberſtadenſi oppignoratam repeteret,& gravem mulctam civibus imperaret. Quamobrem paucorum hominum veſania magnum detrimentum Reip. attulit. Et hæc quidem ſumma eſt illorum motuum, de quibus etiam legendi Krantzius *Metrop.* lib. XI. c. XXVII. Dreſſerus *Iſagog. Hiſtoricæ* part. V. Buntingius *Chron. Brunſvv.* pag. CCLXXII. Copia Diplomatis, quo modo inter Epiſcopum & Senatum populumque res omnis compoſita & hi quidem variis mulctis redditi obnoxii in manus noſtras venit, quam & Winnigſtadio, cujus narratio cum eo probe convenit, lectam putamus. Anno cIↃ
1427. CCCCXXVII. Epiſcopus noſter cum aliquot Ducibus Brunſwicenſibus Hallenſem urbem infeſtavit, donec a Capitulo motus componerentur. Bunting. *Chron. Brunſvv. p.* CCLXXIV. Hic Epiſcopus alioquin ſedulus rerum Eccleſiæ inſpector & immunitatum Eccleſiaſticarum defenſor traditur: neque cognatos ſuos ditare voluit ſacris opibus, quos laicis ſemper damno ac inſtar pennarum aquilæ, inſtar rubiginis ferrum corrodentis, inſtar ignis in arca latitantis eſſe, haut temere judicavit. Cur tamen domum Falckenſteinianam Comitibus Mansfeldenſibus in XII. annos oppignoraverit (id quod Budæus in *vita Alb.* II. pag. XCIV. tetigit) nondum mihi perſpectum. Valedixit orbi hic Epiſcopus
1435. anno cIↃCCCCXXXV. inque cathedrali templo ante ſacrarium S. Mariæ pone chorum humatus eſt.

XXXVII. §. LXXIII. BURCHARDI II. electionem in annum
1436. cIↃCCCCXXXVI. refert Auctor Compilationis Chronolog. Fuit is dignitate Præpoſitus in Walbeck, gente, ex baronibus de Warberg. Fratres habuit Johannem & Gebhardum, quorum
1440. ad annum cIↃCCCCXL. meminit Meibomius in *Chron. Marienthalenſi.* Tonuerunt *ea tempeſtate bella in circuitu plurima,* inquit Krantzius *Metrop.* l. XI. c. XXXV. *ut velut in igne conſideret Burchardus.* Heckſtadium Mansfeldenſis hodie ditionis oppidum a Miſnenſibus Marchionibus ipſi ereptum, tradit Winnigſtadius. Bellum quod cum Comite Hohnſteiniano ei intercesſit, ſic deſcribit Krantzius *Saxon.* lib. XI. cap. XXVIII. *Halberſtadenſis Epiſcopus Burchardus tum cum Henrico de Honſteen Comite disſidebat. Prior au-*

tem

tem Comes cum expeditis egreſſus, prædam abegit ex diœceſi. Cujus rei juſtam meditatus ultionem Pontifex, ex vicinis urbibus auxilia contraxit, equites octingentos, pedites ſupra mille, hoc agmine pervaſurus omnem ejus Comitatum. Sed literis egit apud Comites de Stalberg & Swartzeborg, ut incolume in hoſtem bona eorum venia iter haberet. Nec recuſabant ſecuritatem polliceri, verum quadam utriusque partis affectione teneri videbantur, ſed majori in Comitem propenſione. Arbitrati enim ſunt nonnulli, eorum opera & admonitum Comitem de venturis & armis adjutum. Ubi ingreſſum eſt agmen hoſtium, Comes de Honſteen opportunis locis deliteſcens invadit de latibulis ſuis venientes: & collata manu pauci plures ſuperant. Vulnerati multi, capti trecenti de exercitu Epiſcopi, quod in foſſatum urgerentur. Ipſe Epiſcopus graviter ſaucius retrolabitur abiens, manus hoſtium vix evadens. Captivi redemtionem ſuam triginta millibus aureorum æſtimati ſunt procurare. Sed interventu communium amicorum res in eum decurrit modum, ut in redemptionem captorum omnium Epiſcopus ſedecim millia perſolveret: trengæ triennio durarent: per quod tempus aut media compoſitionis excogitarentur, aut (ſi id partibus videretur) ad arma redirent. Hoc autem temperamentum in relaxatione captivorum priſtinæ æſtimationi adhibitum ferunt: quia non ſatis ex fide actum putaretur cum Epiſcopo, qui utique ſecurum per ditionem Comitum vicinorum in promiſſo habere tranſitum dicebatur: ſed militares viri ſimul habent interpretationis genus in explenda fide, quæ nullis codicibus legitur. An triennio elapſo res ad arma rurſus devenerit, nondum certo nobis conſtat: quamvis Winnigſtadius Epiſcopum ex vulnere an. CIↃCCCCLVIII. obiiſſe 1458.
referat. In anno obitus conſenſit Auctor Compilat. Chronolog. Sub hoc Epiſcopo a Rudolpho Quirre Præpoſito ſpeculam in Hujenſi ſaltu conſtructam reperimus apud Winnigſtadium.

§. LXXIV. Ad Epiſcopale faſtigium hinc evectus GEBHARDUS Nobilis ab Hoym, *ordine miniſterialium ejus ditionis natus, præfuitque Eccleſiæ ſuæ ſumma cum laude per annos viginti unum*: quæ verba ſunt Alberti Krantzii *Metrop.* lib. XI. c. XLVIII. Sed ſi Winnigſtadium audimus, mediocris ſane ipſi laus debetur, qui nec Eccleſiaſtica, nec civilia ſollicite curaverit, illis Suffraganeo, hæc Advocatis Præfectisque transmiſſis. Unde XXXVIII

 etiam

etiam a maximis minimis laceſſitus fuit dicteriis, quæ inter & ſequens offendimus.

Biſchoff Gebhard von der Bode Sein Stab iſt kurtz und ſchlicht
Sein Roß beſchritt er node/. Zum Biſchoffs Amt dient er nicht.

Sub hoc Epiſcopo inter Clerum & Senatum Halberſtadienſem graviſſimæ iterum contentiones inde potiſſimum coortæ ſunt, quod Senatus in munienda urbe detrimentum attuliſſet curiis privilegiisque Canonicorum. Poſtquam autem mutuis altercationibus diu negotium extractum, tandem auctori-
1467. tate Epiſcopi in arce Wegelebienſi anno CIↃCCCCLXVII. compoſitum, confectumque de eo prolixum eſt diploma idiomate Saxonico & originem & finem litium comprehendens. Attamen non multo poſt novi tumultus oriuntur, præcipuique Prælatorum ac Clericorum urbe excedunt, qui tamen anno CIↃ CCCCLXIX. reverſi, poſtquam Epiſcopum eique adhærentem Clerum cum Senatu conciliaſſent, Eccardus Wenden Hildeſienſis major Præpoſitus, M. Wernerus Boldewin V. J. Lic. Sigebertus ab Hoym, Conradus de Scheppenſted, Henninges Calm, Henninges Horneborch, Coſſ. Brunſwicenſes. Diplomatis ea de re confecti hæc eſt ſubſcriptio: *Acta anno Domini* CIↃ
1469. CCCCLXIX. *Indictione* II. *menſis Julii, Pontificatus Domini Pauli* II. *anno ejus quinto, in prætorio oppidi Quedlinborg Halberſtadenſis diœceſis præſentibus ibidem nobilibus ac ſtrenuis viris domino Rudolpho Pincerna ſive Barone & Domino de Wedebach, nec non Alberto de Ernerute Capitaneo Illuſtriſſimorum Ducum Saxoniæ in caſtro Friborch, ac Johanne de Aſſeborch, Friderico de Hoym & Borchardo de Dittfordt, & quamplurimorum aliorum Armigerum Halberſtad. copioſaque plebis multitudine teſtibus ad præmiſſa. Thilemannus Brandis Officialis curiæ Halberſtad, Johannes Haſſelmann & Stephanus Siſtede Notarii requiſiti ad hæc.* Eodem an. CIↃCCCCLXIX. *duo cives Halberſtadenſes, filii Belial, retro accedentes, quendam presbyterum, in jure Canonico ceteriſque ſcientiis pluribus eruditum de muro retro capellam S. Petri, in eadem civitate miſere ab alto præcipitaverunt usque ad aquam vulgo Holtemmer ſubtus defluentem, ibique cerebro capitis effuſo in brevi mortuus eſt*: uti refert
1474. Auctor Compilationis Chronolog. Anno CIↃCCCCLXXIV. peſtilentiam

lentiam Halberſtadii graſſatam idem Auctor annotavit. Magnam Proceſsionem in feſto Corporis Chriſti hunc Epiſcopum Halberſtadii primum inſtituiſſe, refert Winnigſtadius. In ejusdem Præſulis regimen incidit inſignis rerum Helmſtadienſium mutatio, quæ cum hactenus ab Abbate Werdinenſi temperatæ, nunc Ducibus Brunſwicenſibus commiſſæ. Quod enim Antonius abbas a Friderico III. ad comitia Francofurtenſia evocaretur, nec in promtu pecunia eſſet, Helmſtadienſes rogati, ut Domino opera & ope ſubvenirent, paulo inconſultius utrumque denegarunt. Ægerrime repulſam tulit Antiſtes, atque e veſtigio de urbe alienanda cogitare cœpit. Memorat autem Winnigſtadius, primum adiiſſe Gröningam, & Gebhardo Epiſcopo urbem obtuliſſe. Qui cum ſciſcitaretur, cur urbem non ignobilem tam præcipiti conſilio divendere vellet, reſpondiſſe fertur: *Helmſtadienſes nolle amplius monachorum eſſe filios.* Epiſcopus homo facetus non inepte ſubjecit; *Ergo etiam Sacrificorum filii eſſe recuſabunt.* Sic re infecta illinc diſcedens emtorem avidiſſimum invehit Wilhelmum Juniorem Brunſwicenſem Ducem. Hiſtoriam forte ex Winnigſtadio mutuatam repetunt Buntingius in *Chronico Brunſvvicenſi* & Meibomius *de origine Helmſtadii.* Ceterum Gebhardus Epiſcopus *feſſus labore* (ita Krantzius in *Metropoli*) *permiſit Eccleſiam ſuam Erneſto, jam Magdeburgenſi, ut cumularet. Cernebat enim creſcere contumaciam & pertinaciam tam miniſterialium, quam urbicorum, ut non facile parerent, niſi Principi potenti, & niſi forti manu in viam juſtitiæ dirigerentur, protervituros, quod exitus docuit.* Apud Winnigſtadium reperimus, Epiſcopum ſibi quingentos florenos annuos, ſuæ autem familiæ Wegelebienſe burgum ſervaſſe. Abdicationi ſuæ non diu ſupervixiſſe, annoque CIↃCCCCLXXXIV. deceſſiſſe, ſcribit Winnigſtadius.

§. LXXV. Sic igitur viventi videntique Gebhardo Adminiſtratoris titulo ſuffectus ERNESTUS Dux Saxoniæ, XXXIX Erneſti Electoris filius, Friderici Placidi nepos, qui ante quadriennium in Antiſtitem Magdeburgicum poſtulatus erat. De quo Krantzium audiemus *Metropol.* lib. XII. cap. XV. ſcribentem:

Hal-

Halberſtadenſis inde Eccleſia poſt annos quatuor per Gebehardum jam grandævum & ab ætate feſſum Pontificem permittitur gubernaculis ejusdem Erneſti, & authoritate interveniente Apoſtolica primam (Magdeburgenſem) *tenet in titulum, alteram* (Halberſtadenſem) *in commendam.* Hic Adminiſtrator Patris cognatorumque ceterorum ope Halberſtadium in quintum menſem obſidens deditam ſubjugavit, ac privilegiis Senatum populumque privavit. Hæc etſi a variis, non tamen ea diligentia videntur conſignata, quantam res tanta mereri videbatur. Generatim ita Fa-

1479. bricius Originum Saxonicar. lib. VII. *Anno* CIↃCCCCLXXIX *Gebhardo Hoymo Præſule Halberſtadii defuncto, Erneſtus Magdeburgicus ejusdem Eccleſiæ declaratur Adminiſtrator; quem cum cives Dominum recuſarent, Elector urbem obſidet & armis ad obediendum compellit. Poſt eum tumultum compoſitum filium ipſe introducit Pater ſine pompa: comitabatur eum unus Henricus Dux Brunſvvicenſis.* Neque tamen Erneſtus defuncto demum Gebhardo, ſed adhuc vivente Adminiſtrator Halberſtadenſis fuit renunciatus. Idem vero Fabricius originem motuum exin arceſſit, quod Halberſtadenſes Quedlinburgenſibus Hedwigi Abbatiſſæ Erneſti ſorori parere detrectantibus ſuppetias miſiſſent, vivo adhuc Gebhardo. *Halberſtadii*, inquit, *illis ſocietate juncti fuerant, & auxilia tulerant, & ejectos factioſos receperant. In eos exercitum ducturus Elector, per Præſulem Gebhardum placatur: quem etſi minime obſervarent ſubditi ſui, tamen illius cauſa aut incommodi aut interitus eſſe noluit: mitiora autem agitabat conſilia, ut potius bonitate & patientia frangeret, quam vi manifeſta magis alienaret.* Poſtea vero alia Halberſtadenſibus improperat; quod ſcilicet præfectum Erneſti accipere, ac advocatiam reſtituere recuſaverint. Ipſa ejus hæc ſunt: *De Halberſtadiis dici cœptum erat, quod ſui Præſulis æquitate vindicati eſſent a bello & ſervitute: ſed non agnoſcentes tale beneficium, poſt mortem Gebhardi in ſua manſerunt pertinacia. Nam etiam Erneſti Antiſtitis, qui illi ſucceſſerat, accipere præfectum recuſabant, & poteſtatem judiciorum, quam pacto & pignore tenebant, noluerunt appellati iis, quibus præſcriptum erat, conditionibus reſtituere, & dum libertatem quærebat plebs indomita, Senatum armis invadit, legesque pro ſuo libitu*

alias

alias abrogat, alias ſciſcit, alias renovat. Ac iterum: *Halberſtadii Antiſtitis præfectum contemnunt, & facere imperata detrectant, quamobrem menſe Auguſto exercitum ad mœnia adducit.* Krantzius etſi ſeditionem Halberſtadenſium non negat, hac tamen Saxones nimiam urbis libertatem ægre ferentes ad eandem coërcendam abuſos opinatur. *Halberſtadenſes,* ait, *jam in vertiginem verſi inter ſe tumultum agebant. Conſulares videbantur non recte adminiſtrare Rempubl. Cives hoc emendare conati in eos arma verterunt. Erneſtus Epiſcopus & pater ejus Erneſtus illa qualibuscunque oculis obſervantes tempus eſſe rati ſunt, quo intervenirent pro ſuo jure, ad injicienda frena libertati, quæ in civibus nimia putabatur. Judicium & jurisdictionem in pignus tenuere ab Epiſcopo, nec requiſiti redemtionem ſinebant. Talia exquirebantur ad juſtæ oppugnationis colorem.* Nec alia mens eſt Winnigſtadio, qui culpam in eos rejicit, qui Erneſti Senatores conſiliarios exſtimularunt, ut Domino ad oppugnandam urbem auctores forent. Fabricius hic graviter accuſat Comitem Querfordium, quaſi ſtudia civium contra legitimum Dominum foverit auxerit, acuerit. *Inteſtinum illud incendium* (Fabricii verba ſunt) *alebatur a Comite Querfurdio, antiquæ nobilitatis viro, qui plebis partes tuebatur. Hoc aliqui ſenectuti & delirio tribuebant; aliqui cupiditati, quod honorem Erneſto invideret: cui quamvis longe potentiori, imprudentia & levitate adverſabatur.* Sed in hoc ipſo Comite nulla ejusmodi vitia deprehendit Winnigſtadius, quin potius a pietate, probitate, bonique publici amore commendat. Interim decernitur, decretaque inſtituitur obſidio, quam breviter ſic deſcribit Krantzius: *Obſidionem fecit urbis Epiſcopus, tonat bombardis, deformat muros & mœnia, minatur & extorquet, quæcunque mandaverit in eam urbem expleri. Tradunt victi manus, quippe qui niſi pareant, urbem exire, agros colere, ire ad negotia non ſinuntur.* Sed fuſius deſcribit Fabricius, ſic tamen, ut quædam confinxiſſe autumem. *Sacerdotes exceptis iis, qui cum Querfurdio facerent, urbe omnes exibant. Reliquæ civitates Saxonicæ proſpicientes, fore non bonum talis temeritatis exitum, a ſocietate ſeſe retrahunt: & ut ab incepto deſiſterent, ſuo ipſos facto adhortantur. Poſteaquam redire ad ſanitatem plebs noluit, Antiſtes Magdeburgicus rurſus Patre implorato arma capit, & extremo menſe Julii anno* CIↃCCCCLXXXII. *primum Hal-* 1482.

berſtadiis vias intercludit : deinde urbem magno exercitu obſidet. Querfurdius etiamſi ſacris initiatus eſſet, armatus incedebat (de eo ne γρῦ quidem apud Winnigſtadium, qui tantum ſervos ejus juſſu Domini obſeſſam civitatem defenſaſſe ſcribit) *& inſanæ multitudini Ducis loco erat, & ſpes inanes oſtentans, eam propugnare fortiter jubebat. Toto menſe percutiuntur mœnia: demum magna eorum pars juxta Divi Johannis portam proſternitur. Veriti cives, ne urbs expugnata diriperetur, aut incenderetur, viros honeſtos in caſtra ablegant, ſuam amentiam deplorant, veniam exorant, deditionem ſupplices offerunt, eſſe imperata facturos promittunt. In urbem cum eſſet ventum, miles a vi contineri vix potuit: aliquot domus direptæ, & Quernfurdius duci juſſus, & in locum ſacrum confugiens templi, inde extrahi: ſervatur a ſtentoribus, quos Chorales nominant: ii enim ante ſacrarii aditum militum cohortem cernentes templum ſpoliant, araſque nudant ſcapis & columellis aliisque, quæ ira ſubminiſtrabat, telis, quibus pugnantes militem repellunt atque fugant; nec ſenex Quernfurdius otioſus aut ſegnis ſpectator erat: tandem præfectum cohortis captum, ſibi more militari data manu ſtipulari cogit. Rem geſtam audiens Elector, riſu eam excepit, & apud Antiſtitem filium pro ſene intrepido intercedit: cui, quæ aliis obeſſe ſolent, ſaluti fuit ſenectus & audacia.* De hoc tumultu Winnigſtadius plane nihil affert. Krantzio autem ſi credimus, non is Querfurdius Comes fuit, ſed clericorum alius, quem vi ad Epiſcopum pertrahere voluerunt milites. Sic enim in Metropoli: *Mittit deinde Epiſcopus idem armigeros, ut educatur quidam ex Canonicis, cui male vellet. Vincitur, extrahitur: ſed ſupervenere Scholaſtici, chorales numero XXIV. barbati & interriti viri, fuſtibus urgent armatos vinctum dimitti. Et loci Decanus natu Comitibus de Quarfordi manu depoſcit ab ejus facti primipilario, & jure militari cogitur expromittere. Ita inermis religione ſola veſtitus, armatos cœpit habere captivos.* Ceterum quomodo Halberſtadienſes decoxerint ſuam libertatem, his exſequitur Fabricius: *Civibus Halberſtadiis adimitur libertas; Senatus in ordinem redigitur: præfectum autem & Prætorem aliosque magiſtratus conſtituit Antiſtes, certam item pecuniam imperat: ſacerdotes exules reſtituuntur, aliis ſecutis Quernfurdium datur orantibus venia. Nobilitati autem, quæ civibus non magis ſapiens fuerat, eripitur ampliſſimæ dignitatis ſpes in Collegio:*

ab

ab eo enim tempore Præſulem nullum habuerunt; ſed Antiſtes Magdeburgicus eſt ejus Eccleſiæ perpetuus Adminiſtrator. Si Winnigſtādium audimus, hæc privilegiorum imminutio non ſtatim poſt deditam urbem, ſed biennio poſt facta, cum Wandeslebii pacta conficerentur. Nam etſi multum gratiæ promiſſum civitati, raram tamen ſenſit, præcipue quod per inteſtina diſſidia fœdere Hanſico excidiſſet. Tum Advocatia, jus Gladii ac duarum portarum claves ademta, ac judex & Scabini pro voluntate Principis inſtituti. Tangit hæc etiam David Chytræus *Saxoniæ* lib. II. his verbis: *Erneſtus in recuperationem judiciorum & juriſdictionis in urbe adminiſtrandæ (quam anteceſſores ipſius oppignoratam Senatui conceſſerant) & integrum ac plenum Imperium in civitate obtinendum intentus; cum juriſdictionem, oblata redemtione, Senatus reſtituere nollet: obſervata vel alita etiam inteſtina Senatus & civium, rationes, adminiſtrationes a Senatu flagitantium, diſſenſione: conſilio & ope Patris paulo poſt defuncti urbem obſedit, & occupatam omni juriſdictione ac judiciis & libertate privatam, Epiſcopo totam ſubjecit.* Ad hæc tempora ſpectat diploma pactorum inter Epiſcopum & Halberſtadenſes anno CIϽCCCCLXXXVI. datum, quo præter alia Senatus populusque in decem millium florenorum Rhenanorum ſummam damnantur. Initium ejus tale: Zu mercken dat hute dato up Fridages na Sunte Bartholomeus dage deß hilligen Apoſteln/ nach der Bohrt Chriſti unſers Heren/ Duſent Vierhundert im Ses und Achtigeſten der minneren Tall/ haben die Eddelen/ Wohlgebohrnen/ Geſtrengen/ und Ehrenveſten Gevert/ Grave und Herr to Manßfelt und Helbrunge/ Hans Grave van Hohnſtein/ Here to Klettenberg und Lohra/ Jötze von Wolffenſtorp Ritter/ Eitrich von Zedewitze/ Ritter/ Schencke Jürgen Hovemeiſter Ritter/ Schencke Borchard von Lutenbach/ Hans Goltagger Ritter/ Friederich und Geverd von Hoymb/ Hans von der Aſſeborch/ in den Beyden/ twidracht und irrenüß/ ſo twiſchen dem Ehrwürdigſten in GOtt/ Hochgebohrnen Förſten und Heren/ Herrn Ernſte/ Adminiſtrator der Kerken Magdeborch und Halberſtadt/ Hertogen to Saſſen/ unſern gnädigen Heren an einem/ und dem Rahde und gantzen Gemeine der Stadt Halverſtadt erwachſen/ durch die genanten Vortragen/ beredet und beſprochen iſt/ alſe hierna folget 1486.

 und

und geſchreven ſteldt. Finit autem hunc in modum: Zu Orkun-
de und feſter Haltung haben Wir Grave Hans von Honſtein / un-
ſer Ingeſegell gehangen undten am duſſen Breeff / deß Wir Grave
Gevert mitte gebruken / darneben Schencke Borchardes Ingeſegell/
deß Wir Schencke Jürgen und Hans Goltacker mitte gebrucken/
und Sittig von Zidewitz Ingeſegell / deß ich Jöze von Wolffesdorff
Ritter mede gebrucke / und Friederich von Hoymb Ingeſegell / deß
Wir Geverdt von Hoymb / und Hans von der Aſſeborg mit gebruken/
Im Jahre und Dage oben berührt. Alias hunc Epiſcopum ca-
thedralem Eccleſiam a Joh. Semeca noviter conſtructam anno
1490. cIↄcccccxc. ſolennibus ceremoniis conſecraſſe, nundinasque
ad diem S. Galli confirmaſſe, cœnobia porro variorum ordi-
num ad veteres regulas revocaſſe, concubinatum publicum
Canonicorum ſevere prohibuiſſe, meretricibus honeſtum ha-
bitum ademiſſe, idem Winnigſtadius commemorat. Anno
1513. cIↄ Iↄxiii. cum repentinus morbus invaderet Erneſtum, in ar-
ce Mauritiana Hallis degentem, duo diſcalceati monachi, qui
quotidie eleemoſynas emendicare ſolebant, audita Principis æ-
gritudine, decumbentem adeuntes ſolatiis erigunt: quorum u-
nus in hæc erumpit verba. *Clementiſſime Princeps ac Domine, nos non
modo noſtrorum operum bonorum, ſed & totius noſtri ordinis participem
faciemus Veſtrorum Clementiam, neque dubitabit coram tribunali Dei
juſta ac beata comparere.* Quibus reſpondit Erneſtus: *Minime gen-
tium. Veſtrorum operum bonorum non indigeo. Domini mei Jeſu Chriſti
opera ſola facient, quibus unice confido.* Winnigſtadio tam memo-
rabilem confeſſoris Evangelici vocem debemus, qui eandem
ex Clementis Schavven (hic Archiepiſcopo a ſacris, ac poſt
renatum Evangelium Islebienſis Diaconus fuit) lecto tum aſ-
ſiſtentis, ſuisque auribus excipientis ore accepiſſe tradit. Obi-
it Erneſtus III. Non. Auguſti, eodem ſcilicet die, quo natus Jo-
hannes Marchio Brandenburgenſis. Paulo ante mortem ejus
nullo impellente, ingens candelabrum in ſacello ab ipſo ex-
ſtructo corruit, atque diminuitur: id prodigii loco habitum
fuit. Delatus Magdeburgum in ſepulchrum Antiſtitum condi-
tur in ſacello, quod eſt infra templi turres. Mors ejus dies ali-
quot celatur: & cadaver in feneſtris poſitum fuiſſe fertur, ut
vive-

vivere ac proſpicere crederetur, donec rata fuit Alberti Brandenburgici electio.

§. LXXVI. Poſt Erneſti obitum ſchiſma in Halberſtadenſis Epiſcopi electione ortum, cum una factio, quorum caput erat Balthaſar de Neoſtadio, Præpoſitus, Henrici Ducis Brunſwicenſis filium, alia alium vellet: donec ALBERTUS V. XL.
Marchio Brandenburgenſis, Johannis Electoris filius, Joachimi I. frater, paulo ante in Archiepiſcopum Magdeburgenſem electus, Adminiſtrator Halberſtadenſis diœceſis renunciaretur: qui & anno cIↄIↄXIV. Urieli Archiepiſcopo Moguntino 1514.
ſucceſſor datus & Cardinalitia dignitate an. cIↄIↄXIIX. a Leone 1518.
X. auctus eſt. Quod autem pallium Moguntinum XX. aureorum millibus a Papa emendum, ac porro Cardinalitius galerus non levi conſtaret precio, Halberſtadenſes quoque non mediocrem ſummam eo contulere. Ceterum cum in hujus Epiſcopi tempora incidat inſignis illa religionis in melius mutatio, eaque Halberſtadii præcipue multis difficultatibus ac perſecutionibus extracta, æquum fore putamus, eandem paulo exquiſitius deſcribere. Quod quidem eo feliciori a nobis ſucceſſu futurum ſperamus, quia MS. *Relationem*, ut inſcriptio habet, *de renato Evangelio in civitate Halberſtadenſi* nacti ſumus. Prima igitur Evangelii ſemina anno cIↄIↄXXI. ſpargere cœperunt 1521.
duo ædis Martinianæ ſacellani, Johannes Weſſelius, Brunſwicenſis, & Henricus Geſerdes, Helmſtadienſis, Viri non indocti, & in ſcriptis hactenus a Luthero editis diligenter verſati. Sed non licuit ipſis diu ſubſiſtere Halberſtadii: ſiquidem ineunte anno XXIII. a cœnobitis ad S. Johannem accuſati, juſſu 1523.
Capituli majoris urbe ejecti ſunt. Weſſelium tamen Goslarienſes receperunt, Geſerdeſio Senatus parochiam in majori Quenſtedio contulit. Poſtquam autem & hic veritatem Evangelicam pure doceret, ab Officiali curiæ, & Capituli majoris Capitaneo Johanne a Werther captus, in Groningenſem turrim conjectus, ea lege dimiſſus eſt, ut diœceſin Halberſtad. ejuraret. Quapropter anno cIↄ IↄXXIV. in patriam reverſus, ibidem tamdiu ſubſtitit, compingendis libris victum quærens, donec cIↄIↄXXVIII. Goslariam ad prædicandum Evangelium vocaretur.

 Inte-

Interim Monaſterii ad S. Johannem Præpoſitum agebat D. Eberhardus Widenſee, qui ex Academia Pariſienſi acciverat Antonium Felicem Gallum, ut Hebraice, Græce & Latine profiteretur, eoque magis magisque doctrina Evangelii propagaretur. Ac ipſe Eberhardus Pſalterium Davidis Hebraicum interpretabatur, ad cujus lectiones & conciones multi ex aliis collegiis ac monaſteriis confluebant, præſertim quod ipſum ad puriora dogmata Lutheri inclinare deprehenderent. Nec ſatis erat ex monaſterio ſuo pietatis bonarumque artium officinam feciſſe, ſed idem etiam ob religionem in exilium conjectis perfugium quoddam erat & aſylum: quod Petrus Horneburgius Brunswiga pulſus, aliique plures experti. Dum ita ſe gerit D. Eberhardus, Halberſtadium venit Valentinus Muſteus, Ord. ſervorum B. Mariæ, Theologiæ Doctor, qui in cœnobio civitatis novæ abuſus Pontificios cœpit reprehendere; eundemque in propoſito inprimis confirmavit Henricus Scriba, Conſul urbis, vir pietate ac probitate inſignis, cui & cum Eberhardo Widenſee & Bartholdo Hammerſted, cathedralis Eccleſiæ concionatore errorum Pontificiorum intelligente ſingularis interceſſit amicitia: ut adeo hæc Doctorum triga, Widenſee, Muſteus, & Hammerſtedius bene de fide ſentirent, bene eandem prædicarent. Quod autem præ ceteris id ageret Muſteus, ac literis quoque errores Pontificios carperet, citatur Hallas ad Albertum Epiſcopum. Comparet ille, & ad objecta ita reſpondet, ut non invenirent, quomodo in illum animadverterent. Omnis igitur culpa rejicitur in Henricum Scribam Conſulem, quem Prætor Epiſcopi Tilemannus Schultze dolo in ſua ipſius domo capit, ſed de vi clamantem dimittere cogitur. Is vero ad cœmeterium Martinianum confugiens multos ex plebe reperit defenſores contra Joh. a Werther de captivitate ejus ſerio agentem. Dum vero ad Bodonem Comitem Stolbergenſem circa veſperam avolare contendit, in itinere a Werthero capitur, aliquot comitum trucidatis, pluribus vulneratis. Hinc Henricus cum duobus aliis civibus Joh. Mejo & Henrico Peterſillino Hallam mittitur, ubi ſeditionis accuſati capitis damnantur. Et ſecutum fuiſſet ſupplicium, niſi Præpoſiti Hildesheimen-

heimenſis Levini a Veltheim & virginum aliquot in Præſulis conſpectum paſſis capillis prodeuntium precibus id datum, ut vita ſalva, abjurarent patriam ac diœceſin cives duo, quorum alter Quedlinburgum, alter Werningerodam cum familia conceſſerunt. Etiam Henricus Scriba impetratis Magnatum commendatitiis, præſtitoque gravi juramento, quo per omnem vitam in Moguntinam, Magdeburgenſem ac Halberſtadenſem dœceſes redire vetabatur, ære libertatem redemit. Sed mitem dixeris Epiſcopum præ crudelitate Halberſtadienſis cleri. Nam Henricus Suffraganeus cum triga Canonicorum nefarium de caſtrando Muſteo capit conſilium, & hunc in modum exſequitur. Miniſtris aliquot Canonicorum in mandatis datur capere Muſteum, qui ſtrenue juſſa perficientes, ex muſeo protractum, injecto ori capiſtro, in cellam cereviſiariam rapiunt, ac per agaſonem Caſparum Heiſſen, hominem ſimplicem ac facti poſtea ſerio pœnitentem caſtrant. Tunc quoque Bibliothecæ vis illata, parte librorum ablata, parte dilacerata, parte etiam aliqua & cum his Auguſtini operibus in latrinam projectis. Poſtea miſerum hominem manibus pedibusque vinctum inque ſangvine ſuo voluntatem relinquunt, & ex cœnobio aufugiunt. Proximo mane cum reliqui monachi ſpolia cellæ Muſtei animadverterent, ipſe vero non compareret, tandem in angulo cereviſiariæ cellæ repertus, exquiſito medici cujusdam ſtudio commendatur, ac recuperata utcunque valetudine, acceptoque veſtitu, non ſine bonorum viatico dimiſſus, brevi poſt ex commendatione Lutheri honorificæ Spartæ a Friderico III. Sapiente admovetur. Jam faba cudebatur in D. Eberhardum Widenſee, Præpoſitum ad S. Johannem, qui aliquot ſermonibus ad populum habitis ſuperſtitiones Papales acriter reprehenderat. Hallam igitur vocato aliquot accuſationis capita prælecta; cur illa damnet, quæ præcipue tueri teneretur? cur alios quosdam, & in his Novi Operis ante Hallas, Lucam, monaſterii Gottes-Gnade/ Henricum S. Mauritii Præpoſitos ſeduxiſſet, & illorum exilii cauſa fuiſſet? cur miſſaticas preces & canonem immutaſſet? cur non ipſe modo hæreticos libros legeret, ſed aliis quoque ut idem facerent, auctor

eſſet?

eſſet? Tum Eberhardus coram Archiepiſcopo ſupplicibus verbis rogavit, ut legerent & cognoſcerent habitas conciones: quas tamen nemo recipere, nemo legere, nec excuſationem admittere volebat. Imo Henricus Suffraganeus nequaquam audiendos eſſe hæreticos eructabat. Muſtei etiam aſtutiam tangens, qui ante caſtrationem auditus, priſtinæ dignitati reſtitutus eſſet. Hinc igitur bonus damnatur Eberhardus, ademtaque Præpoſitura & Archidiaconatu, vinctus Halberſtadium mittitur, ac Hamerslebienſis & novus Novi Operis Præpoſitus ibidem præſentes jubentur alium Eberhardo ſufficere Præpoſitum, Eberhardum ipſum captivum detinere, & ex omnibus cœnobiis Lutheri ac Lutheriſequarum ſcripta exſtirpare. Sed in ipſo hoc itinere ex hoſpitio quodam ceteris dormientibus cum famulo ſe ſubducit, ac parato curru Magdeburgum avolat, ubi Auguſtinianum cœnobium ingreſſus, cœnobitis ſuis rem omnem exponit, de Suffraganei inprimis protervia conqueſtus. Orat denique, ne in novi Præpoſiti electionem conſentiant, aut, ſi ad id cogantur, libros tamen, veſtes, & XL. florenos ad ſe ſpectantes remittant. Quorum tamen nihil impetrans Wittebergam conceſſit. At vero monachi ad eligendum novum Præpoſitum prius ſe non accingebant, quam iterato Epiſcopi mandato per interpretem Valentinum Tedeleben compellerentur. Atque tunc indoctus parochus ex Neuenhagen hanc dignitatem indeptus eſt. Eberhardus autem Widenſee eopſe anno verbi divini ad S. Jacobum Magdeburgi Paſtor factus fideliter propagationem Evangelii adjuvit, donec ab obtimo Principe Chriſtiano, poſtea Daniæ Rege, in Holſatiam vocaretur: ac demum Goslarienſis Antiſtes conſtitutus placi-
1525. de ibidem obdormivit. Anno CIↃIↃXXV. gliſcente [t] ruſticorum ſeditione multi Clericorum ſibi timentes jura civitatis impetrarunt, & in his ipſe Suffraganeus Henricus, ut & Officialis Epiſcopi Henricus Horn: cumque Albertus Præſul plenum jus & poteſtatem judiciariam urbi remitteret, provide ac prudenter egit Senatus, ut ſuos in officio contineret. Nam etſi jam ducenti ex ſentina plebis ad diripiendas Canonicorum curias congregati, tamen per Albertum Meigen Cos. aliosque blandis

ver-

verbis ab hoc nefario propoſito revocati ſunt, cum interea Hademersiebium, Huyſeburgum, Michelſteinium, Ilſenburgum, & prope cœnobia per viciniam omnia expilarentur. In tanta tamen confuſione rerum Pontificius Paſtor Hermannus Keye cum ſacellano ſuo ex parochia Martiniana aufugiebat: in cujus locum ſufficiebatur monaſterii ad S. Johannem Prior, Henricus Winckel Wernigerodanus. Hic ut erat doctrina ac zelo pietatis præditus, ita veritatem Evangelicam, reprehenſa contrariorum dogmatum vanitate, ſtrenue propagabat. Quod autem nec diebus feſtis, ac ne ſemel quidem per vertentem annum miſſam celebrare vellet, dimiſſus conceſſit Wittebergam, ubi Senatus & civium Halberſtadenſium liberalitate tamdiu ſuſtentatus eſt, usque dum Coadjutor Brunſwicenſis Eccleſiæ renunciaretur. Winckelio Halberſtadii ſuccedebat Johannes Winnigſtadius, is ipſe, quem præſenti Syngrammate ob MS. Chronicon toties laudavimus: verum cum & hic ſenſim carperet abuſus Pontificios, ac de ſola fide juſtificante ex S. Paulo recte doceret plebem, Lutheranismi accuſatus, ut doctrinæ ac ſermonum rationem redderet, nunc ad hortum Petri, nunc in prætorium Eccleſiaſticum, quandoque ad Capitulum cathedrale, aliquando ad Vnionem citabatur, ac interea variis inſidiis petitus in ſummo verſabatur diſcrimine. Denique per ſemeſtre demandato munere defuncto, novus Præpoſitus, Capituli nomine, tria proponit, quorum unum eligeret: Manſurus doctrinam hactenus ſparſam recantans, ſali & aquæ benediceret; aut extemplo diſcederet; vel utrumque detrectans, non defugeret carcerem & catapontismi ſupplicium. Sic ille redit ad cœnobium, privatam vitam victurus: in quo tamen duriter tractatur, eidemque Lutheri aliorumque orthodoxorum ſcripta adimuntur. Winnigſtadio ſuccedebat procurator monaſterii Henninges Boſſe, qui licet non alienus ab Evangelio, quod tamen per meſſem diſtentus eſſet curis œconomicis, concionibus vacare non potuit. Quamobrem revocatur Winnigſtadius, cui inſtinctu Præpoſiti, poſtquam bis ſe exercuiſſet perorando res minus feliciter ceſſit. Attamen non con-

ſultum putabant Winnigſtadium unde ejectus remittere, ſed donec aliam comminiſcerentur viam. HenningiLangen committunt prædicandi in æde Martiniana munus, qui verbis & armis Papiſmum tueri auſus, ob proterviam coram Præſule a Senatu accuſatus loco movetur. Vocabatur igitur provectæ ætatis Procurator Georgius, qui quantum patiebantur vires, officium faciebat. Mox parochiani ad S. Johannem laborant de impetrando Winnigſtadio. Primum ſe difficilem præbuit Præpoſitus, enixis tamen precibus civium victus conceſſit: atque ſic Winnigſtadius per integrum triennium ſincere docuit Evangelium, ea uſus moderatione, ne adverſariis facile daretur occaſio quiritandi. At enim defatigato Georgio Paſtore Martiniano (qui brevi poſt Goslariam patriam repetiit, ac ibidem aliquoties in templo S. Crucis docuit) opera Winnigſtadii acceſſit collega novus Conradus Feigenhut, Theol. Doctor, qui Noviomagi in Geldria Decanus, ob Lutheraniſmum paterno ſolo fuerat ejectus. Hic licet, tum ob ſingularem doctrinam, quam antiquorumPatrum teſtimoniis confutando Papiſmum, demonſtrabat, tum ob priſtinam dignitatem ac partam Halberſtadii gratiam timeretur, coactus tamen eſt furori adverſariorum, ac imprimis ſibi infenſiſſimo Decano Johanni a Mahrenholtz cedere; brevi poſt apud Serveſtanos parochiam nactus. Solus igitur ſupererat Winnigſtadius, qui liberius jam cœpit prædicare Evangelium: ſed non ſine gravibus periculis, ad quæ evitanda, noctu ſæpius mutabat hoſpitium.
1529. Docuit autem ad annum usque XXIX. quo appropinquante Quadrageſima, ſollicite flagitabant cives, ut S. Cœnam ſub utraque celebraret ſpecie. Quod cumSuffraganeus, Officialis, Præpoſitus, ac ceteriCanonici prohiberent, in hunc ſenſum reſpondebat: *Majus eſt Chriſti, quam hominis Cardinalis & Electoris mandatum: ideoque nec poſſum, nec volo hoc inſtitutum omittere. Quoniam diu multumque in defendenda ſententia, Laicis porrigendam eſſe utramque ſpeciem, pro concione fui occupatus, neceſſarium fore arbitror, ut id verum eſſe, meo exemplo & experientia demonſtrem. Et cupio hic a quoquam veſtrum erroris convinci.* Officialis Epiſco-

piſcopi Henricus Horn, qui Nicodemus quaſi alter,ac inScholas Halberſtadenſes ac Wernigerodanam beneficus erat,mitius reſpondebat: *Vides id non in noſtro, ſed Principis Electoris arbitrio eſſe. Exſpecta tantiſper, ut periculum faciamus,an forte tibi impetremus ab Epiſcopo.* Atque in eandem ſententiam reſpondebat Capitaneus Henricus ab Hoym. Quapropter Johannes Winnigſtadius usque ad Dominicam Jubilate propoſitum differebat. Ceterum ut vidit adverſarios moras nectere, ſibi vero integrum non eſſe in adminiſtratione Sacramentorum juxta Chriſti mandatum progredi, dicto die Dominico in publica concione valedicit populo, ac aliquantiſper apud Heinſium Rulingium commoratus, Brunſwicum evadit. Eo loci a veteribus amicis, M. Martino Gorlicio, Henrico Winckelio, Johanne Wilſelio, aliisque confirmatus revertitur Halberſtadium ad colligendam ſtipem, quam Wittebergæ continuandis ſtudiis impendere decreverat. De reditu ejus certior factus Capitaneus novus Philippus Meſebuck, præcipuos ex Vnione clericos ad hortum Petri vocat, eoque amice Winnigſtadium citat: qui ab Rulingio hoſpite, ut conſtantiam in divina cauſa ſervaret, admonitus, impetratoque ſalvo conductu, duobus Senatoribus ſtipatus comparet, eidemque parochia ſive ad S. Martinum, ſive ad S. Johannem ea lege committitur, ut ſimpliciter pro concione doceret, ab aliis Eccleſiaſticis muneribus ac Sacramentorum adminiſtratione immunis. Hic primo ſe difficilem præbere ac tergiverſari: tandem vero Senatus iteratis precibus expugnatus acquieſcere. Jam omnia videbantur eſſe in vado, jamque Senatores aliique pii gratulabantur & Eccleſiæ & Winnigſtadio, cum repente novas turbas Capitaneus excitaret, ac negocium omne interverteret. Scilicet dum is ad Winnigſtadium: *Nunc mi Johannes opus eſt, ut denuo tondearis ac cappam induas*; hic reſpondebat: *Si cappa & calvitium Sacerdotem faciunt, quid vetat, quo minus bos vel aſinus in clericum formetur? Non eo animo cappam monaſticam exui, qui unquam velim repetere.* Tum excandeſcens Capitaneus Senatum jubet, ut vinctum carceri manciparet, donec ad Cardinalem Electorem captivus mitteretur. Sed quando inſtaret Senatus, ſe fidem ſalvi conductus de-

 diſſe

diſſe Winnigſtadio, ac metuendam præterea ſeditionem, ſerio demum mandat, ut ex urbe ac diœceſi protinus diſcederet, easdem nunquam repetiturus. Hic Winnigſtadius ſubjicere: *Si ſcorta & nebulones fertis, quibus merito interdicenda regio, cur me nolitis tolerare hominem innocentem? Si exilio dignus ſum, cur me Paſtorem veſtrum tanto ſtudio expetitis? Quare huic edicto nondum parere queo, nec puto vobis id ab Electore in mandatis datum.* Hinc modeſte interfari Officialis, ac lenire verba Capitanei: *Non ea*, inquit, *mens eſt Capitaneo, quaſi tibi interdicat libero aditu egreſſuque, ſed jure tantum habitandi & perſeverandi, quamdiu ei doctrinæ inhæres, quam nondum tolerare poteſt Elector.* Sic diſcedit Winnigſtadius, & ſalutato Magdeburgi Nicolao Amſtorfio, Wittebergam venit ad B. Lutherum & D. Pomeranum, quorum commendatione Einbeccæ Paſtor verbi divini conſtitutus eſt. Deinceps usque ad annum CIƆIƆXL. publicum docendi & Sacramentorum miniſterium Halberſtadii nullum fuit, ſed Pontificias ſuperſtitiones pro virili confirmabant D. Luderus, monachus Paulinus ex Brunſwico, D. Rungius, ex cœnobio Franciſcanorum Hannoverano, Balduinus Boldeman monachus ex Salinis ante Hildesheimium, D. Joh. Pyrenberg, & denique an. CIƆIƆXXXIX. M. Johannes Matthias, ex Quedlinburgo. Oves tamen non audiverunt vocem eorum, ſed ad percipiendum Evangelium abierunt in comitatus Regenſteinianum, Stolbergenſem, Wernigerodanum, aliquibus etiam Dernburgum & Quedlinburgum excurrentibus: quamvis non raro verſarentur ſummo in periculo, quod Meſenbucius Capitaneus ipſis inſidiaretur. Anno tandem CIƆIƆXL. Albertus Epiſcopus publicum Evange-
1540. licæ doctrinæ exercitium in Magdeburgenſi & Halberſtadenſi diœceſi libere permiſit. *Cum enim ingentem pecuniæ ſummam* (quæ ſunt Chytræi verba *Saxon.* lib. XV.) *Cardinalis ab Archidiœceſanis peteret, nec aſſentiri proceres ac civitates, niſi Auguſtanæ Confeſſionis doctrina ipſis libere conceſſa, vellent: Georgio etiam Duce Saxoniæ mortuo Henricus Dux Saxoniæ in Miſnia, & Joachimus Elector Brandenb. in tota Marchia ſubditis in permittenda religione libera gratificati eſſent: ipſe etiam ut pecuniam flagitatam impetraret, connivendum eſſe duxit, Collegiis tamen Canonicorum & cœnobiis in priſtino ſtatu relictis.* Archiepi-

chiepiſcopo igitur Moguntiam migrante, Halberſtadienſes ab Vlrico Comite Regenſteiniano expetierunt concionatorem aulicum Jodocum Ottonem, qui in æde Martiniana usque ad ad CIƆIƆLIV. docuit. Eidem collega datus eſt Auctor Lampadius Licentiatus Theologiæ, Wernigeroda vocatus, qui anno LIII. decedens ſucceſſorem accepit M. Matthiam Georgium, qui ab anno XLIV. in templo S. Mauritii Evangelium docuerat. Magni tamen criminis ſuſpectus, dimiſſusque Northuſæ vivendi finem fecit. Jodoco ſuccesſit Valentinus Greſerus, cujus collega fuit Johannes Topperus. Ab obitu Greſeri vocabatur M. Chriſtophorus Fiſcher/collegam habens M. Chriſtophorum Gundermann, qui & ſocero dimiſſo ſuccesſit. Paulo poſt, quod Reformatis adhæreret, Lipſiam excitus eſt: quæ male ipſi cesſit mutatio. Hinc ſummo cum fructu docuit D. Martinus Mirus, qui ab Electore Saxoniæ ad ſanctiorem viſitationem Electoratus generalem vocatus eſt. Collega eidem fuit Laurentius, ſed ſucceſſorem accepit D. Eſaiam Silberſchlag. Poſt ejectum vero a Smalcaldicis Henricum Ducem Brunſwicenſem Senatus cum civibus egit, ut in ceteris quoque parochiis pii doctique Paſtores eligerentur. Hinc ad ædem S. Johannis vocabatur Johannes Schachtzius, & Winnigſtadius quoque jam Quedlinburgi ad S. Blaſium parochus ad tempus repetebatur ut in templo Johannitano plantaret Evangelium, & Sacramenta adminiſtraret, quod per novem faciens hebdomadas a Quedlinburgenſibus revocatur: quem in hac Sparta ſequitur Clemens Vrſinus civis Halberſtad. filius. Rejecto vero Papatu Pontificius ad S. Paulum Eccleſiaſtes Lutheranis accesſit. Hoc igitur pacto Eccleſia purior in hac urbe reſtituta, præſenti demum ſeculo ab obitu Chriſtiani Epiſcopi aliquid detrimenti cepit. Ceterum quid cum Jodoco Ottone actum, & quomodo Deus miro modo ejus ſaluti proſpexerit, non indignum memoratu eſt. Huic infenſi admodum erant Pontificii Canonici, ejusque abdicationem apud Epiſcopum urgentes, ab eo edictum ad Senatum impetrant, quo jubebatur Jodocum removere, ſin minus, brevi præſto fore Epiſcopum, ac armata manu hominē ejecturum. Mandatum illud cum Cos. Lackenmachero redditum

ris anxius animi ipſum adit Jodocum, remque omnem aperit. Hic ad triduum ſaltim publicationem differendam ſvadens, interea temporis preces publicas pro cauſa ardua ad divinam gloriam populique ſalutem ſpectante indicit. Finitis tertii diei ſacris tanta oritur tempeſtas, ut multi extremum diem imminere putarent. Fulmine tum tactum S. Nicolai prædium incenditur. Sed dum plebs ad exſtinguendum concurrere debuiſſet, de diripiendis Canonicorum ædibus cogitaſſe fertur. In illo rerum ſtatu Cos. mandatum publicat. Quandoquidem autem ad Senatum mitterentur ex Pontificiis, de reſtinguendo incendio & avertenda ſeditione acturi, iisdem reſpondetur, populum prius in ordinem redigi non poſſe, quam de ſtabili manſione Jodoci actum ſit. In his anguſtiis pollicentur Canonici, ſe rem omnem apud Electorem confecturos. Ac tum unusquisque in reſtinguenda flamma ſtrenue elaboravit. Cum igitur Canonici ſcripſiſſent ad Epiſcopum, is tam inique tulit, ut Moguntiam profecturus, quod alioquin conſtituerat, inviſere nollet Halberſtadium. De prima Scholarum Halberſtadenſium reformatione aliqua etiam afferemus In collegiatis Eccleſiis idonea Schola vix erat, licet ad eas bene conſtituendas luculenta quondam ſtipendia teſtamento decreviſſet Balthaſar Newſtadius, major Præpoſitus. Ideo conſentiente Senatu Evangelicum ludum primus in horto Antonii aperuit Balthaſar Meiſtorf, quem ex majoris Eccleſiæ Schola, Canonici ob id dimiſerant, quod liberius diſcipulis explicaret doctrinam Evangelii, foris etiam quibusdam plebejis auſcultantibus. Vrgente poſtea Capitulo cathedrali, dimiſſo parochia in majori Quenſtadio committitur. Deinceps Scholæ cura eruditis viris, olim ſacrificulis, Henrico Coco, Auctori Arends, Heinſio Burchardo, demandatur: usque dum Conſulum ac Senatorum piorum, inprimis Alberti Meigii & Georgii Campii opera, in novo ædificio (ubi quondam militum Sacrorum locus dictus fuerat die Gottes Richter) Scholam collocant, cui primum præficiunt ludimagiſtrum Nicolaum Kiſtnerum, quem M. Chriſtophorus Colerus excepit, cui Senatus Paulinianorum Monachorum cœnobium ab Alberto Præſule impetravit. Sed ab exceſſu Alberti

berti vacante ſede, ex hoc cœnobio pulſi ad priſtinam ſtationem rejiciuntur Præceptores & diſcipuli. Colero ad capesſendum Quedlinburgenſem Paſtoratum abeunti ſucceſſit M. Johannes Kregelius, Kregelio Schaperus, huic Heino, illi Hermannus Hellen, iſti Simon Mylius, quem Gundermannus, ac eum D. Paulus Lakenmacherus ſecuti.

Hactenus ſtatum religioſum civitatis Halberſtadenſis a tempore reformationis repetitum, ea qua decuit fide, qua potuimus brevitate, expoſuimus. Nunc poſtliminio ad Albertum Epiſcopum revertimur. Is quidem anno CIↃIↃXLII. Moguntiam abiturus in Magdeburgenſi ac Halberſtadenſi diœceſi vices ſuas commiſit Johanni Alberto Marchioni Brandenburgico, Coadjutori ſuo, qui anno CIↃIↃXLIII. primo Halberſtadium inviſit, & a Capitulo ac Senatu honorifice exceptus eſt. Anno autem CIↃIↃXLV. XXIV. Septembr. Albertus Archiepiſcopus Aſchaffenburgi vitam finiens in Moguntina æde primaria humatus eſt ſub rubicundo marmore, cui aliquoties inciſæ voces, **Alle hernach**: quas explicat Nicolaus Serrarius *Rerum Moguntiacar.* lib. I. cap. XXXI. qui & lib. V. Epitaphium a genero Melanchthonis Georgio Sabino conſcriptum affert. Dies ac hora obitus Jodoco Ottonis V.D. Miniſtro Evangelico Halberſtadenſi (de quo paulo ante diſſeruimus) patefacta, dum in cubiculo vocem hanc audivit: *Domine Jodoce, Epiſcopus Albertus mortuus eſt*. Et erat ſane huic viro Præſul tam infenſus, ut nihil ſupra. Elegit Albertus Carolum V. Cæſarem & Ferdinandum I. Regem Romanorum, quibus longe fuit ad finem uſque vitæ chariſſimus. Pontificii Scriptores eum faciunt omnium virtutum genere abſolutiſſimum, de quo ſecus ſentiunt Lutherus aliique orthodoxi, quin & ipſe Fridericus III. Sapiens, qui ejus ſobdolum ingenium expertus taxavit. Multis tributis gravavit ſubditos, nec tamen ærarium, ſed miniſtros locupletavit, imo ſæpiuſcule æris indiguit. Suffraganeum Halberſtadenſem qui hactenus Paulinus erat monachus, Canonicum ad S. Mariam conſtituit, eidemque Acconenſis Epiſcopi titulum a Pontifice impetravit.

1542.
1543.
1545.

§. LXXVII.

§. LXXVII. JOHANNES ALBERTVS, Friderici Onoldsbacenſis filius, Alberti Achillis nepos, vivo Alberto Archiepiſcopo Magdeburgenſis ac Halberſtadenſis Eccleſiarum Coadjutor deſignatus, poſt ejuſdem exceſſum Archiepiſcopalem æque ac Epiſcopalem infulam adeptus, exeunte anno XLV. Halberſtadium absque ſingulari pompa ingreſſus, Clerum, Senatum populumque Halberſtadenſem homagium præſtantes benigne tractavit, ac ubique clementis regiminis præſignificationem dedit. Corpore, ac inprimis pedibus æger, mentis acumine præſtabat; quodq; ad publicas res attentus eſſet, Oſcherslebium aliaq; oppignorata redimebat, ac immodicas Anteceſſoris cognati donationes revocabat: id quod inprimis in D. Chriſtophori Turcæ Cancellarii bonis oſtendit. A Senatu Halberſtadenſi quoque jus Advocatiæ, ſive poteſtatem judicariam repetiit, quam ſub Alberto tempore belli ruſtici acceperat. Concubinatui Clericorum infenſus repetitis edictis eundem Halberſtadii tollere laboravit. Ceterum gubernatio ejus inquieta & infelix fuit, quippe in cujus tempora bellum Smalcaldicum, Collegii Canonicorum ex Magdeburgo emigratio, ejusdem urbis proſcriptio, oppidorum & arcium archidiœceſios urbi vicinarum occupatio incidat: quo tempore Herbipolin, u-
1547. bi Præpoſitum agebat, ſeceſſit: poſtquam anno CIↃIↃXLVII. Joh. Fridericus Elector cum ipſo convenerat, ut ſubditi utriusque diœceſios fidelitatis juramentum ſibi præſtarent. Sed poſt captum Electorem Johannem Fridericum exin reverſus, quadrimeſtri ante inchoatam obſidionem Magdeburgenſem obiit
1550. Sabbato poſt feſtum Aſcenſionis, anno CIↃIↃL.

§. LXXVIII. Coadjutorem utriusque diœceſios tum agebat FRIDERICVS, Joachimi II. Electoris filius, Alberti Cardinalis vultum referens, a priori Archiepiſcopo in hanc dignitatem ſublatus. Hic etſi ab utriusque Eccleſiæ Canonicis ſucceſſor acciperetur, confirmatio tamen Pontificia obtineri non potuit, quod Auguſtanæ Confesſionis doctrinam in Eccleſiis Marchiæ juſſu Electoris, doceri conſtaret. Interea
1552. anno LII. die Mercurii poſt Dominicam Cantate Halberſtadii ſplendide exceptus, ac aliquamdiu ibidem moratus Hallas rever-

revertebatur. Quod autem peſtis ibidem graſſaretur, primo Querfordium, inde Groningam concedens, mox iterum Halberſtadium regreſſus, inflammatione per nimium balnei æſtum concepta morbum contraxit, ex quo III. Octobr. obiit. Veneno ſublatum multi ſuſurrarunt, & veſtigia ejus rei apud Winnigſtadium (niſi forte hæc in ms. noſtro alium habent auctorem) reperimus. Mors ejus per aliquot dies celata, ne miles, qui tum per diœceſin frequens, turbas daret. Sepultura in cathedrali Halberſtadenſi templo magnifica fuit.

§. LXXIX. Statim igitur a Magdeburgenſibus ac poſtea ab Halberſtadenſibus, frater Friderici SIGISMVNDVS, XLIII.
quatuordecim annorum adoleſcens ſubſtituebatur. Quod confirmatio Pontificia ac pallium a Julio III. difficulter impetrari potuit, non niſi an. CIↃ IↃLVII. ſolenni pompa Halberſta- 1557.
dium ingreſſus eſt. Cum deinceps per novennium Eccleſiæ Halberſtadenſi præfuiſſet, *aucta ætate, ac prudentia* (Chytræi hæc ſunt *Saxoniæ* lib. XXI.) *piorum etiam conſilio uſus, Reformationem doctrinæ ac cultuum in Collegiis ſuæ inſpectioni ſubjectis inſtituere, & abuſus ac errores, qui ſuperioribus ſeculis ſub Papatu irrepſerant, abolere decreviſſet: ideoque multorum ſapientum ac doctorum judicia prius exploranda, & formas aliorum Collegiorum emendatas conquirendas judicaſſet; priusquam deliberata penitus exequeretur, rebus humanis exemtus eſt.* Factum id XIII. Septembr. anno CIↃIↃLXVI. in civi- 1566.
tate Hallenſi, ubi etiam ſepultus requieſcit.

§. LXXX. Cum Magdeburgenſes Sigismundo Adminiſtratorem ſuffeciſſent Joachimum Fridericum, Joh. Georgii filium, Marchionem Brandenburgicum, ſperabant Halberſtadenſes quoq; Canonicos exemplum ſecuturos. Sed hi diuturnæ conjunctionis pertæſi, HENRICVM JVLIVM, Julii, Brunſwi- XLIV.
co-Luneburgenſis Ducis filiolum biennem hac conditione eligunt, ut gubernatio diœceſios per XII. annos penes Collegium maneat, deſignato Epiſcopo infanti mille Joachimici quotannis pendantur, reliqui Epiſcopæ reditus ad diſſolvendum æs alienum diœceſi incumbens, convertantur. Poſt adeptam autem a Cæſare ætatis veniam, an. CIↃIↃLXXVIII. IX. Februar. inſigni 1578.
cum pompa Henricus Julius venit Halberſtadium, eundem-

que Pater & fratres duo Philippus & Joachimus Carolus comitabantur.
1584. An. CIↃIↃLXXXIV. inter Epiſcopum & Senatum Halberſtadenſem de foſſato quodam orta controverſia quæ ut componeretur, Epiſcopo Senatus non mediocrem pecuniæ ſummã exſolvit: ac tum concordata illa (ceu vocantur) inter Prætorem, Senatum & judicia conſtituta ſunt.
1585. An. CIↃIↃLXXXV. Henricus Julius uxorem duxit Dorotheam, Auguſti Saxoniæ Electoris filiam, nuptiis Wolfferbyti magnifice celebratis. Illud vel propterea hoc loco memoramus, quod hic primus Halberſtadenſis Epiſcopus uxoratus fuerit. Sequenti anno Halberſtadium inviſit Johannes Caſimirus ad Rhenum Palatinus, quem Epiſcopus per dies aliquot laute habitum Gröningam deduxit.
1587. An. CIↃIↃLXXXVII. cœnobium S. Johannis cum contiguo templo exuſtum: ac tum parochiani Franciſcanorum ædem ad habenda ſacra uſurparunt. Eodemque anno uxor Epiſcopi vivendi finem fecit.
1589. An. CIↃIↃLXXXIX. III. Maji pater Epiſcopi D. Julius, Academiæ Juliæ conditor placide in Chriſto obdormivit, cui Henricus Julius ſuccesſit.
1590. An. CIↃIↃXC. Epiſcopus in Daniam profectus Croneburgi, præſente Iacobo Scotiæ Rege alteram uxorem duxit Eliſabetham Friderici II. filiam. Domiductio tanta cum magnificentia Wolferbyti celebrata, ut Mercurii Gallici auctor referat, XLVIII. utriusque ſexus Principes his ſolemnibus adfuiſſe.
1591. An. CIↃIↃXCI. Epiſcopus ſeptimo & vigeſimo ætatis, tertio decimo Epiſcopatus anno, conventum Clericorum ingresſus, ſententiam de reformanda religione aperiens, erronea Pontificiorum dogmata ac ſuperſtitiones nominatim perſtrinxit, ac exercitium Auguſtanæ Confesſionis enixe commendavit. Tandem itaque manus tam ſancto operi ſtrenue admota, unanimique totius Unionis conſenſu ſincerior religio introducta, vocato in hunc finem Martino Miro Theol. Doctore, qui ipſo S. Matthæi feſto encænia cathedralis Eccleſiæ oratione ſacra, quæ poſt exſcripta typis, celebravit. Pontificiis tamen liberum religionis exercitium cum beneficiis relicta, ſed concubinas abdicare ſerio jusſi, ad reliquarum terrorem, tres publica ignominia notatæ, urbe & diœceſi pulſæ ſunt. Circa finem quidem anni legatus Rudolphi Cæſaris, reformationis

tionis, præſertim in B. Mariæ Eccleſia, abdicandæ ergo venit Halberſtadium: ſed plus Deo quam hominibus obtemperandum pie decrevit Epiſcopus. An. CIↃ IↃXCIII. poſt obitum Ernеſti, 1593.
ultimi Comitis Hohnſteiniani Henricus Julius Lohram & Klettenbergam, Patri Julio jamtum a clero Halberſtadenſi in feudum commiſſa occupavit. Eodem anno Canonicis & Vicariis B. Mariæ & S. Pauli in majoris Eccleſiæ Canonicorum conventu mandatum de abrogandis miſſis & concubinis prælectum. Sed licet in poſteriori ita ſe geſturos pollicerentur, ne quiſquam bonus de quo jure quereretur, haberet anſam, prius tamen per propoſitiones Epiſcopo redditas integrum ſibi fore opinabantur. An. CIↃ IↃXCIV. nova arx Gröningenſis cum contiguo templo, non quidem capaci multum, ſed maxime ſplendido, a quarto decimo poſtquam exſtrui cœptum anno confecta. Organo hujus ædis muſico, an. CIↃ IↃXCVI. per Davidem Beck fabricato ſequentes verſus adſcripti ſunt: 1594.

Halberſtadenſis Præſul Brunonis in arce
Et Lunburgo Dux HENRICVS JVLIVS iſtas
Argutas Muſas, hæc aurea templa dicavit
Chriſte Tibi, tu redde Duci ſobolique viciſſim
Longævam vitam, pacem, patriæque ſalutem.

An. CIↃ IↃXCV. Chriſtianus IV. Rex Danorum juvenis cum affine Epiſcopo Halberſtadium venit. 1595. An. CIↃIↃXCVI. ſeverum denuo mandatum de abdicandis concubinis publicatum. 1596. An. CIↃ IↃXCVII. peculiari ſcripto Canonicis ad B. Mariam indicebatur ab Epiſcopo, ut Evangelicum Paſtorem advocarent: quod pauperiem cauſati tum temporis recuſarunt. 1597. Publicus tamen concubinatus ex eo fere deſiit, quod illo contaminatis dignitatum & beneficiorum privatio denunciaretur. Eodem anno, Johanne Georgio ultimo Comite Regenſteiniano demortuo, Henricus Julius Regenſteinium & Blanckenburgum arces occupavit, horumque Comitatuum inſignia clypeo inſerens inpoſterum quinque galeis uſus eſt. Anno CIↃ IↃC. tres latrones capite plexi Grōningæ, quorum unus decem, alter XXXVIII. tertius LII. cædibus infames erant, annoque CIↃ IↃCI. decem alii publico ſupplicio affecti, quorum nemo eſſet, 1600. 1601.

qui

1603. qui non minimum tres quatuorve trucidaſſet. Anno cIↄ Iↄcııı; denuo jubebantur ad B. Mariam Canonici, qui Evangelicum V.D. præconem allegerent: quod fecere tandem, accito Davide Mullero ad S. Spiritum Paſtore, qui ſequenti anno primum
1605. ſermonem Evangelicum ibidem habuit. An cIↄIↄcv. Decanus major Caſpar a Kanneberg obiit, qui teſtamento luculenta in ſacros uſus legata conſtituit. Ipſe Henricus Julius ſua præſentia funeris ſolennia illuſtravit. Succeſſor ei datus eſt Matthias ab
1610. Oppen. Anno cIↄIↄcx. Epiſcopus Pragam conceſſit, ſummoque in precio habitus fuit a Rudolpho Cæſare, quem & in gratiam reduxit cum Matthia fratre. Tum etiam apud Imperatorem perfecit, ut anno cIↄIↄcxI. Comes ab Hollach & Felix
1611. Rudigerus Halberſtadium mitterentur, qui per fecialem Cæſareum Brunſvicenſi urbi bannum ſupremum denunciarunt,
1613. Henrico Julio commiſſa executione. Sed anno cIↄIↄcxIII. Princeps xx. Julii circa nonam veſpertinam placide obiit. Wolferbytum deductus in Henricopolitano templo ſplendide ſepultus eſt. Vixit annos XLVIII. novem menſes, dies tres. Epiſcopalem dignitatem poene per annos XLVII. tenuit, paternæ ditioni præfuit XXIV. annis, II. menſibus, diebus XVII. Princeps erat literis egregie excultus, & Mathematicarum artium apprime gnarus, inprimis autem Architectonices, quod exſtruendis magnificis ædificiis, Groningenſi inprimis arce, Helmſtadienſi Juleo, Halberſtadenſi ac Pragenſi palatiis demonſtravit.

§. LXXXI. Vacante ſede, Canonici Halberſtadenſes poſtularunt HENRICVM CAROLVM, Henrici Julii filiorum
XLV. natu minimum. Anno cIↄIↄcxv. legatus Cæſareus Arnoldus a
1615. Bucholtz, Præpoſitus Hildeſienſis, Halberſtadium venit, ad procurandam Anshelmi Caſimiri Wamboldi ab Vmbſtet, & Rabani Weſtphali in Collegium majus receptionem. Quia vero Aug. Confeſſioni nomen dare detrectarunt, re infecta deceſſit. Idem legatus fruſtra quoque urſit horarum canonicarum more Pontificio repetitionem. Datum enim id reſponſi: Bene jam reformatam eſſe Eccleſiam Halberſtadenſem, nec alia opus fore. Ceterum dum optima quæque de Henrico Carolo ſperat diœceſis, ipſo hoc anno XV. XI. Julii cum ſextum vitæ

annum ageret, in Academia Helmſtadienſi ex hac vita in cœleſtem migrat.

§. LXXXII. Quod autem Pater Henricus Julius filium alterum RVDOLPHVM, an. cIɔIɔcII. natum jam in omnem eventum commendaſſet Canonicorum Collegio, id etiam concordi ſuffragio eundem poſtulavit. Sed is quoque quartodecimo ætatis, XVI. præſentis ſeculi anno, in illuſtri Collegio Tubingenſi vitam cum morte commutavit. Eodem anno, menſe Aprili Franciſcani monachi Halberſtadio juſſi excedere. XLVI. 1616.

§. LXXXIII. Merita vero Henrici Julii apud Capitulum Halberſtadienſe tantum valuere, ut etiam tertius fratrum CHRISTIANVS, anno cIɔIɔXCIX. natus, laudato anno XVI. Auguſti menſis die XVI. Epiſcopus eligeretur, cui Coadjutor datus Brandenburgenſis Marchio Chriſtianus Wilhelmus, Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ac ſi huic forte humanitus aliquid contingeret, porro in eventum Coadjutor ſcriptus Fridericus, Chriſtiani IV. Daniæ Regis filius, majoris Eccleſiæ Præpoſitus. Introductio Chriſtiani facta Kl. Maji anno cIɔIɔCXVII. præſente matre Eliſabetha, ac Friderico Vlrico fratre. Sicuti autem Brunſwicum ante aliquot annos banno imperiali Halberſtadii notatum, ita hoc ipſo publica ejus relaxatio per fecialem ibidem inſtituta. Paulo poſt ſurgentibus in Bojemia, ac in Germaniam ſe diffundentibus graviſſimis bellorum motibus, inclareſcere volens Chriſtianus, poſitis apud Batavos belli tyrociniis, Friderici Palatini regno Bojemico pulſi cauſam tueri conſtituit. Ferunt Eliſabethæ conjugi Friderici ereptam manibus chirothecam pileo ſuo accommodaſſe, addito juramento, non demiſſurum ſe ſymbolum illud e capite prius, quam Regem Fridericum ſolio Pragenſi redditum vidiſſet. Itaque collecto in Saxonia & Weſtphalia, quem Halberſtadenſis diœceſis cum gravi impenſa aliquamdiu aluit, exercitu, anno cIɔ IɔCXXI per Haſſiam graſſatur, ac occupato Amœnoburgo Moguntinæ ditionis oppido, id intendit, quomodo in Franconiam ad Erneſtum Mansfeldium evaderet, conjunctis cum eo viribus rem Palatini curaturus. Miſſus ingruente hye- XLVII 1617. 1621.

 me

me adverſus Chriſtianum, Jacobus Comes Anholdius, ſupremus vigiliarum præfectus, qui conflato ex Hiſpanis, Herbipolenſibus, Moguntinis & Darmſtadianis non ſpernendo exercitu, in Wetteraviam conceſſit, Chriſtianum levi quidem copiarum damno, ſed Ducis ipſius majore periculo, cujus equus confodiebatur, fundit tandem, atque in Weſtphaliam rejicit.
1622. Sequenti anno Chriſtianus, Lippia, Suſato, Paderborna captis, magnam prædam conficiens, monetam conflari juſſit novo ſymbolo inſignitam. Ab una parte manus e nubibus protenſa evaginatum vibrabat enſem, nominique ſuo, FRIDERICI (Palatinum deſignans) adſcripſerat: parte altera ſequens lemma addidit, AMICVS DEI, HOSTIS CLERICORVM: Gottes Freund/ Pfaffen-Feind. Acceptis autem a Palatino literis, ut ſe cum Mansfeldio jungeret, dum Palatinatum verſus iter intendit, in Tillium incurrit prope Hœchſtam oppidum, ubi per pontem Mœno impoſitum transſire conabatur. Sed copiæ ejus nullo ordine diſpoſitæ, facile in fugam verſæ, nemineque perſequente magna pars exercitus, fracto ponte, Mœno hauſta, & impedimenta ac machinæ Tillio relictæ. Inde eum & Mansfeldium ad Tabernas Alſatiæ Palatinus actis gratiis dimittit, facta quo vellent diſcedendi poteſtate. Hi ergo cum in Lotharingia propoſitum aliquamdiu celaſſent, alio ſubinde converti ſimulantes, tandem a confœderatis Belgii Ordinibus acciti, magnis itineribus Brabantiam petivere. In itinere ad Floriacum illis Gonſalvus Corduba occurrit, ubi æquo Marte pugnatum. Hoc prælio Chriſtianus noſter ſiniſtrum brachium amiſit. Nam adacto per manum ſclopeti globulo, dum in ipſo pugnæ ardore vulneris curam omittit, adeo cœpit ingraveſcere, ut accedente gangræna nullum ſalutis ſuperaret, niſi brachio ſublato, remedium. Pertulit autem ſectionem fortiter, & plane militari pompa, inter occinentes undique tubas, ut avocatus hoc ſtrepitu animus magnitudinem cruciatus aut minus perciperet, aut facilius disſimularet. Sed a generoſa mente nihil detraxit corporis imbecillitas. Nam audito Bredam adventaſſe, ubi curandi cauſa decumbebat, tubicinem Hiſpanum, perduci ad ſe hominem jusſit, collocutusque aliquam multa *Vade*, inquit

inquit, *& nuncia Marchioni Spinolæ, amiſiſſe me brachium, ſed ſupereſſe adhuc alterum, quo in hoſtes propediem utar.* Reſtituta dein valetudine, ferreo, ſive, ut alii volunt, argenteo machinamento, quod in ſimilitudinem brachii artifex Hollandus affabre expreſſerat, officia manuum perquam multa non incommode exſecutus eſt, arte naturam imitante, ut quo vellet brachium flecteret, manuque diductis & contractis rurſum digitis obvia quævis apprehenderet, retineretque. Narrat hæc omnia Adolphus Brachelius, Chriſtiano alias haut æqvus Jeſuita *Hiſtoriarum noſtri temporis* lib. II. Ex eo Chriſtianus Paderbornenſem Epiſcopatum denuo infeſtans, cum parum commeatus ibidem reperiretur, ad Viſurgin digreſſus, complura ejus tractus loca, totumque Comitatum Schowenburgicum, ac in hoc Rhintelium occupat deinceps in Hildeſienſem diœceſin ſe convertens. Scribebant tum exercitum inferioris Saxoniæ circuli Proceres, ſui defendendi cauſa, & illam militiæ præfecturam haud obſcure prenſabat Chriſtianus, cui tum erant ſub ſignis viginti quaſi millia. Sed Cæſar adhortatus Saxoniæ Magnates, ut arma & Chriſtianum omitterent; denique & ipſi gratiam offert, ſi relictis armis ſeſe ad quietem componeret. At Epiſcopus non pro ſe modo, ſed etiam pro Palatino aliisque harum partium veniam poſtulans, ut oblatam gratiam reciperet, induci non potuit. Menſe igitur Martio anno CIↃIↃCXXIII. cum 1623.
univerſis copiis Halberſtadenſem Epiſcopatum ingreſſus, ipſi metropoli gravis fuit, Dernburgum violenter expugnavit & diripuit, ac Werningerodam quoque cepit. Militia deinde Saxo-Vinarienſi, novisque ſupplementis, pecunia & tormentis militaribus auctus, in ditionem Monaſterienſem exercitum cœpit deducere. At Tillius adjuncto ſibi Comite Anholdino, prope Statloam præeuntem aſſecutus, gravi clade profligat, peditatu fere omni aut cæſo, aut capto, amiſſoque omni inſtrumento bellico. Chriſtianus cum Comite Turriano graviter ſaucio & paucis reliquiis in Hollandiam evaſit. An. CIↃIↃCXXIV. cum 1624.
Mansfeldio ad accerſenda auxilia & novi belli apparatus ſtruendos in Britanniam ad Regem Jacobum profectus, benevolis animis a Rege & Ordinibus exceptus eſt: cum antea menſe Februa-

Februario in gratiam Friderici Principis Dani Epiſcopatum Halberſtadenſem abdicaſſet. At quando jam Chriſtianus Wilhelmus, Adminiſtrator Magdeburgicus renunciatus eſſet Coadjutor Halberſtadenſis prior, eoque ipſo ad Epiſcopam jure quæſito gauderet, is prætermitti tuto non potuit. Poſtulatio ta-
1625. men in Coadjutorem Friderico Dano confirmata, ac per legatos Patri nunciata eſt. Anno cIↃIↃCXXV. milite ac ære Anglicano inſtructi Chriſtianus & Mansfeldius Colonienſem, Oſnabrugenſem, vicinasque ditiones preſſere, cumq; in Daniæ Regis auxilium properare viderentur, iisdem a Tillio opponebatur Anholdius: inter quos mutuis ſtrategematis æſtas extracta, ac Palatini in Britannicis auxiliis ſpes omnis evanuit. Dum vero Tillius cũ Rege Daniæ occupatus rem ſtrenue gerit, novus cum exercitu Dux a Ferdinando Cæſare Tillio in ſubſidium miſſus, Albertus Wallenſteinius in Franconiam duxit, paucisque diebus interjectis Magdeburgenſium & Brunſwicenſium fines attigit. Menſe Octobri tres cohortes Halberſtadium venere. Qui aderant Illuſtres Triumviri ſe ultra triduum in urbe non commoraturos polliciti ſtatuto tempore emigrarunt, militibus tamen ſub Davide Beckero manentibus. His acceſſit magna Croatarum manus, ac in urbe & circa eam omnia milite repleta. Kalend. Novembr. Coloredanus arma ademit civibus Halberſtadenſibus, quorum plures his aliisque injuriis moti patriam reliquerunt. Exeunte Novembri Tillius ac Wallenſteinius Halberſtadii convenere. Et hic quidem ſequente anno menſe Martio, in Henricum Hewerum honeſtæ famæ civem non alia de cauſa ſuſpendio animadvertit, quam quod a viro quodam illuſtri Quedlinburgi interrogatus (incertum an & affirmaverit) quo loco muri Halberſtadenſes minus forent muniti. Idem annus
1626. cIↃIↃCXXVI. Chriſtiano fatalis fuit. Poſtquam enim Tillium a Northemii obſidione pepuliſſet, a Friderico Vlrico ad regendam hæreditatis ſuæ partem Wolferbytum vocatus, menſe Majo decedit. Fama eſt, dum corpus ad condituram aperitur, prodigioſæ longitudinis lumbricos inter viſcera repertos. Pompam funebrem Fridericus Vlricus frater in XV. Octobr. diem anni XXVIII. diſtulit.

§ LXXXIV.

§. LXXXIV. Miſerrimus hac tempeſtate rerum Halberſtadenſium ſtatus fuit, ſed miſerior indies redditus, poſtquam religio Evangelica per Pontificios ibidem invaleſcentes labefactari cœpit & imminui. Initio enim anni XXVII. Dominicani monachi cœnobium ad S. Paulum, ac paulo poſt Diſcalceati ædem ſuam, qua hactenus parochiani ad S. Johannis uſi, occuparunt. Menſe 1627.
Martio legati Moguntini, Johannes Chriſtophorus ab Harſtall, Vicedominus & Jodocus Helmsdorferus, Prætor Erfurtini, Halberſtadium venientes, mandatum Cæſareum de Anshelmi Caſimiri Wamboldi ab Umbſtat, in Præpoſitum, aliorumque in Canonicos receptione, ut & menſis Apoſtolici, ac ceterorum jurium Papalium reſtitutione attulere, in eoque ſtrenue elaborarunt, ut Præpoſiti ac Canonicorum introductio VI. Maji more majorum perageretur. Quod vero novum Cæſaris mandatum electionem novi Epiſcopi urgeret, ac pollicitationibus frequentibus delinirentur Canonici, tandem LEOPOLDVS XLVIII.
WILHELMVS Archidux Auſtriæ, Ferdinandi II. Imp. filius, Epiſcopus Argentinenſis & Paſſavienſis, XXIV. Decembris poſtulatus, proximique anni menſe Junio, Capitulatio, quam vocant, cum Cæſare, novi Epiſcopi nomine peracta fuit. Menſe Decembri anno XXVIII. monachi ad S. Johannem ejus ædis a- 1628.
ditus omnes præcluſerunt, ne parochianis ſacra in eadem amplius liceret celebrare. Vetabantur quoque Paſtores Evangelici, Pontificios nominatim pro concione perſtringere, ſubmiſſis huncin finem corycæis ac delatoribus. Anno CIϽIϽCXXIX. 1629.
ſub ipſum anni exordium Dominicani monachi proceſſionem in cœnobio S. Nicolai habendam publice denunciarunt. XVI. Januar. nequiſſimus Apoſtata Theodorus Simonis, Ludimagiſter quondam Luneburgicus, M. Paulum Mullerum cathedralis Eccleſiæ Paſtorem ad colloquium religioſum provocavit, cumque pondere argumentorum victus progredi amplius non poſſet, niſi Pontificia religio ſalvifica foret, diris ſe devovit. Ea vix profatus, tam gravi narium profluvio laborare cœpit, ut cum ſumma ignominia ſe proripere neceſſum haberet. Menſe Aprili ſeverum illud de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis edictum Halberſtadii publicatum, magno cum Pontificiorum gaudio, ſed eo majori Evangelicorum mœrore.

Menſe Septembri Canonicis ad S. Mauritium conventu Eccleſiaſtico interdicebatur. At quando Jeſuita genibus flexis a Wallenſteinio templum S. Martini ordini ſuo tradendum expeteret, ac Wallenſteinius quæreret; *quem in finem hoc templo indigerent*, reſpondenti, *ad preces faciendas*, dicebat ille: *Hoc quoque iſti faciunt. Abite, & partis contenti vivite.* Mox tamen Evangelici Paſtores, exceptis iis ad S. Martinum & S. Spiritum, ut a prædicando deſiſterent, jubebantur. Menſe Octobri Jeſuitæ a Capitulo majori aulam S. Petri in habitaculi & Scholæ, capellam Petrinam in ſacrorum uſum flagitantes, impetrarunt, ac præterea Cancellaria ipſis aliquamdiu conceſſa. Initio Decembris Doctoribus Evangelicis Præpoſitura pulſis ſuffecti Pontificii. v. Decembris Tillius Dux una cum Epiſcopo Osnabrugenſi Franciſco Wilhelmo Halberſtadium venientes VIII. Decembris Canonicos Lutheranos omnes Eccleſiarum cathedralium S. Stephani, B. Mariæ, S. Bonifacii, & S. Pauli, qui religioni renunciare nollent, ex mandato Cæſareo removerunt, ac omnia in priſtinum Papalem ſtatum reformarunt. Hinc miſſatica ſacra, hinc proceſſiones cœpere, quarum uni XI. Decembris inſtitutæ Tillius, Wallenſteinius, aliique Magnates adfuere: iisdemque ex ſententia confectis XVIII. Decembris Epiſcopus Osnabrugenſis ac Tillius diſceſſere. Dominica poſt Nativitatem Chriſti M. Paulus Mullerus abdicatus Eccleſiæ cathedralis Paſtor ad S. Martinum concionabatur: quod adeo momordit Pontificios, ut ipſe a perorando deſiſtere, Senatus nunquam ipſum inpoſterum admittere juberentur. Sed is brevi poſt Helmſtadii SS. Theologiæ Profeſſor & ſacrorum Antiſtes renunciatus eſt. At vero M. Jonas Sigfridus Paſtoratu ad S. Johannem privatus domi ſuæ ſacra non ſine periculo per
1630. aliquod tempus adminiſtrabat. Cum anno etiam XXX. Gregoriani calendarii uſus iterum Halberſtadii invaluit. Menſe Martio poſt abdicationem Lutheranorum Scholæ Magiſtrorum, Jeſuitæ a Joachimo ab Huneken & Johanne Eitelio ab Holle majoris Eccleſiæ Canonicis in Scholam cathedralem deducti, incolis vero Sarckſtedii ædes ſacra præcluſa eſt. XVII. Maji, Johanni Richardo a Metternich, Adminiſtratori

Epi-

Epiſcopatus Halberſtadenſis, qui & Præpoſitus Moguntinus, ut & Canonicus, Theſaurarius ac Protonotarius ad ædem cathedralem, Præpoſitus item ad S. Paulum erat Halberſtadii, ab Ordinibus Epiſcopatus homagium in graciam Leopoldi Wilhelmi præſtitum: ſic tamen ut de ſalva Auguſtana Confesſione ac privilegiis publice proteſtarentur. Menſe Junio abdicati Evangelici Canonici intra menſtruum ſpacium curiis cedere, ac alìorſum migrare jubebantur. Menſe Julio cum Quedlinburgi exhibitæ Confesſionis Auguſtanæ Jubilæum per triduum, etiam Halberſtadii in æde S. Martini, intuentibus ringentibusque Pontificiis die Dominico celebrabatur. Et forte jam tum nonnullorum animos ſubiit timor ob imminentes Svecos. De Beckero certe præſidii præfecto id ſuſpicamur, qui præcipuam ſuppellectilem Wolferbytum transmiſit. Anno CIƆIƆCXXXI. XV. Maji Pontificii in æde cathedrali Halberſtadenſi epinicion ob occupatam 1631.
Magdeburgum ritu ſolenni cantarunt: quod quam Deo gratum fuerit, ob incredibilis ſævitiæ exempla, unusquisque judicet. Et ſane quamdiu erit Halberſtadium, non obliviſcetur triſtisſimi illius ſpectaculi, quando pueri puellæque menſe Junio curribus advecti ſub haſta quaſi venderentur. Quæ res adeo commovit animos primariorum civium, ut tantæ calamitati ereptos tenellos puſiones probe deinceps educarent, ac inſtar juſtorum liberorum haberent. Ab excidio Magdeburgenſi Tillio, qui in caſtra a Pappenhemio haud procul Halberſtadio formata advenerat, rara affulſit felicitas, ejusque exercitus a Guſtavo Adolpho Rege Sveciæ ad Lipſiam victus fugatusque, memorabili clade. Hoc prælium Halberſtadenſem clerum Pontificium ita turbavit, ut exceptis ad S. Burchardum monialibus, plerique omnes convaſatis rebus diſcederent. Militia quoque omnis Halberſtadium deſeruit, ac, ne forte urbs diriperetur (quod Pappenhemium in animo habuiſſe ferunt) ſollicite providit Tillius, qui id propter poſtremus omnium civitatem relinquens, Senatum civesque, exhibitis portarum clavibus, admonuit, ut urbem in Cæſarea fide ſervarent, majori tamen, quam cui pares eſſent, presſi impetu, pro re nata ſaluti ſuæ conſulerent. Hinc Svecicus miles appropinquabat Halber-

ſtadio, cujus turmæ aliquot intromiſſæ quos Cæſareanorum reperere, partim ſpoliarunt, partim trucidarunt, cœnobia etiam nonnulla diripientes. Verum breve prope fuiſſet illud gaudium, ſi tribuno Bonighauſio, qui iteratis vicibus impresſionem in civitatem faciebat, res feliciter cesſiſſet. Attamen civium & præſidiariorum, quibus Wincklerus præerat, virtute represſi, urbem deſerere coacti ſunt. Menſe Novembri, nomine Regis Sveciæ, parochianis ad S. Johannem Diſcalceatorum ædes habendis ſacris per Wincklerum iterum asſignata, religioſique cultus initium XIX. laudati menſis factum. Tum etiam Calendarium Gregorianum exſpiravit, ac Paſtores Evangelici priſtino munere cum ſummo totius civitatis applauſu libere fungi

1632. cœperunt. Ineunte anno XXXII. Sveci milites, cum non paucis ex ſentina plebis cœnobium S. Burchardi ita ſpoliabant ac vaſtabant, ut monialibus in eodem commode amplius degere haut integrum, ſed in prædium ſuum concedere neceſſum eſſet. Eadem quoque fabula cum monaſterio ad S. Johannem acta. XIV. Januarii Bannerius Svecorum Dux Halberſtadii hoſpitatus, Goslariam contendit, quam dedidere Cæſareani. Primus erat Februarii dies, quo cives Halberſtad. Regis Sveciæ legatis homagium præſtarunt, menſeque Aprili ex decreto Regis, Senatus derelictas Canonicorum curias aliaque ad eos pertinentia bona occuparunt. Eodem anno Rex Sveciæ Ludovico Anhaltino Principi in Magdeburgenſi ac Halberſtadenſi diœceſibus vices ſuas ac conſtitutionem Cancellariæ commiſit, qui Herdeſiano Cancellario Senatores conſiliarios adjunxit Mar-

1633. tinum Milagium & D. Bloccium, Lubecenſem. Ex anno XXXIII. geſtis non ſunt quæ memoremus, niſi id fortasſis, quod multi militares aliique civilis dignitatis viri Eccleſiaſtica ſibi a Rege Sveciæ ante obitum donata bona occupaverint, quorum no-

1634. minare recenſere nihil attinet. An. XXXIV ſolenni conventu Halberſtadii, quem Fridericus Vlricus, Auguſtus & Georgius Duces Brunſwico-Luneburgici, Regni Svecici Cancellarius Axelius Oxenſtierna, aliique Magnatum præſentes inviſebant, præcipue de arctiori fœdere Svecico ac Circuli inferioris Saxonici de-

1635. fenſione, ut & ſatisfactione Svecorum actum. Anno XXXV. poſt confectam inter Cæſarem & Saxoniæ Electorem Pragenſe pacem

lauda-

laudatus Elector occupavit Halberſtadium: ac deinceps utriusque religionis Canonici a Svecis hactenus excluſi ad curias & dignitatem priſtinam rediere. Anno XXXVI. Joh. Reinhardo a Metternich, loco Leop. Wilhelmi, adminiſtratio Epiſcopatus Halberſtadenſis, per victorias Svecicas interrupta, Cæſareo diplomate denuo concredita, isque poſſesſionem in palatiis Epiſcopalibus pasſim per diœceſin adiit. Neque ſic tamen quies reddita urbi ac diœceſi, præſertim quod Bannerii militia prævaleret. Vix diſceſſerat Bannerius, & ecce Cæſareani milites aderant, quibus victus large ſubminiſtrari debuit. Tum vero Franciſcani monachi diruendis D. Adami Luchtenii aliisq; ædibus turbarunt, donec iterum Svecorum adventus Pontificiorum conatus paulisper ſiſteret. Anno XXXVII. Cæſareani milites, ac cum iis, qui paulo ante ſeceſſerant, Pontificii Canonici rediere; quorum tamen pars, ſparſo de reditu Svecorum rumore, confeſtim avolans, ſublato metu urbem repetiit. Menſe Decembri Metternichius Adminiſtrator vita excesſit, a cujus obitu Canonici Evangelici munus recepere. Anno XXXVIII. legatus Cæſareus Wilhelmus ab Eſtern venit Halberſtadium, ac de Capitulatione aliisque principalibus negociis egit cum Canonicis. Anno XXXIX. denuo redeuntibus Svecis, milites Cæſareani cum Pontificiis Canonicis valedicunt urbi: quam Sveci occupantes gravibus tributis onerant. Eodem anno Leopoldo Wilhelmo a fratre Ferdinando III. ſupremus militiæ ducatus committitur, eidemque Octavius Piccolomineus adjungitur, cujus conſilio monitisque bellum adminiſtraret. Anno XLI. Sveci iterum Halberſtadenſis diœceſios civile regimen adminiſtrare cœperunt; menſeque Majo Bannerius Halberſtadium æger delatus vitam finivit. Ab ejus obitu cum Leopoldus Wilhelmus appropinquaret, Sveci urbe ac diœceſi relicta, etiam Caroli Ruthen tribuni, Halberſtadenſium flagelli, legionem avocarunt, quæ tamen a Cæſareanis cæſa ac fugata eſt. Hinc denuo Cæſareanis militibus patuit Halberſtadium usque ad ſequentis anni menſem Martium, quo propter vicinum Konigsmarckium Pontificii primores emigrabant. Neque tamen diuturnus ille metus erat, eodemque anno Jeſuitæ ac Franciſcani monachi Evangelicis varias crearunt moleſtias. Eodem anno Comiti a

Margin: 1636. 1637. 1638. 1639. 1641. 1642.

Tettenbach Comitatus Regenſteinianus, conſentiente Capitulo, in feudum commiſſus eſt. Menſe Novembri impresſionem in civitatem fecere Sveci, quibus Gottfried Heiſter Cæſareus
1643. tribunus ſtrenue reſtitit. At ſeq. anni menſe Julio Sveci, ope civis Groperiani, pontis funes reſecantis, urbem occuparunt. Et licet Cæſareani milites jam in urbe agentibus fortiter reſiſterent, ad ultimum tamen cedere, horaque veſpertina quinta cum Heiſtero deditionem facere compulſi ſunt. Per aliquot tum horas Halberſtadium Svecorum direptionibus obnoxia fuit. Tribuni Cæſarei capti, aliorſum miſſi: Jeſuitæ itidem detenti, ſed a præſtito juramento, ne unquam ſive ipſi, ſive alii Societatis reverterentur, dimisſi: Cocus centurio corbe a muliere exportatus captivitatem evaſit. Barſio & Claubergio tribunis in illo conflictu a Svecis cæſis ſplendidum funus fecit Konigsmarckius. Præfectura præſidii commiſſa Carolo Weiſſen, ſub quo veteribus reparatis, novis etiam munimentis cingi cœpit Halberſtadium, multis publicis privatorumque ædibus hunc in finem dirutis: ut adeo tum ob hæc, tum ob alias calamitates bellicas, miſera hoc & ſequenti anno
1645. civitatis eſſet facies. Anno XLV. de præſidio Cæſareo ex caſtro Hornburgenſi deducendo inter Konigsmarckium & Tettenbachium actum. Et is, ſi hoc fieret, diſceſſionem ex urbe & diœceſi Halberſtadenſi, ac tributorum æqualem diviſionem pollicebatur. Quod vero Tettenbachius ſe mandatis ſufficientibus haut inſtructum aſſerens, Viennam concederet, Sveci poſt tridui obſidionem Hornburgum occupantes, diœceſi tota potiti, Epiſcopalem jurisdictionem omnem abrogarunt: ac non multo poſt Konigsmarckius ad Bremenſia abitum parans a civibus Halberſtadenſibus fidei ſponſionem, ſine juramento tamen, exegit. In hoc perturbato rerum ſtatu mirum quomodo de nova æde parochianis ad S. Johannem cogitare integrum, qui ſtructuram ejus architecto Quedlinburgenſi commiſere. Exeunte hoc anno Konigsmarckius a Bremenſi expeditione redux, cum apparatu tormentorum Halberſtadii paulisper quieſcens, anno ſequenti aliquoties eo venit. Eodem autem
1646. anno XLVI. complures illuſtres hoſpites habuit Halberſtadium, & in his præcipuum, Electorem Brandenburgicum, Fridericum

Wil-

Wilhelmum, qui non ſine felici omine, eo tempore adventabat, quo ſalubriumHornhuſanorum fontium fama univerſam Germaniam implens, immenſam ægrotorum multitudinem advocaret. Annus XLVII. magnam partem inter Svecorum jam 1647.
adventantium, jam redeuntium preſſuras extractus. An. XLVIII. 1648.
IX. Martii dedicatio novi templi ad S. Johannem ritu maxime ſolenni ſplendidoque, cum incredibili totius civitatis gaudio celebrata. Et ſancta quidem illa lætitia quædam quaſi præluſio erat mox ſecuturæ pacis: quæ hoc ipſo anno menſe Octobri Osnabrugæ firmata, noſtro quoque Halberſtadio bello tricennali tantopere exagitato, auream tranquillitatem reſtituit.

§. LXXXV. Nimirum per hanc ipſam pacem Halberſtadienſis dioeceſis Pontificiæ non minus, quam Svecicæ poteſtati exemta, ac in Principatum ex Epiſcopatu converſa, in ditionem venit Serenisſimi Potentiſſimique Electoris Brandenburgici, FRIDERICI WILHELMI, Patriæ Patris Optimi Maximi. Sub cujus clementisſimo regimine uti hactenus non mediocriter floruit, ita porro ut ab hoſtibus aliisque calamitatibus intacta, majora indies felicitatis incrementa capiat, votorum noſtrorum ſumma eſt, & usquequaque erit.

§. LXXXVI. Vt autem unicuique lectorum conſtet, quid pace Germanica de Halberſtadienſi Epiſcopatu definitum, coronidis loco articulum Inſtrumenti huc facientem transſcribemus, eoque ipſo præſentem hiſtoriam obſignabimus.

Pro æquivalente autem compenſatione Electori Brandenburgico Domino Friderico Wilhelmo, quod ad promovendam pacem univerſalem juribus ſuis in Pomeraniam Citeriorem & Rugiam, una cum ditionibus locisque ſupra annexis ceſſerit, praſtanda, eidem, ejusdemque poſteris & ſucceſſoribus hæredibus atque agnatis maſculis, cumprimis DD. Marchionibus Chriſtiano Wilhelmo, olim Adminiſtratori Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, itemque Chriſtiano Culmbacenſi & Alberto Onolzbacenſi eorundemque ſucceſſoribus & hæredibus maſculis, ſtatim ac pax cum utroque regno & ſtatibus Imperii compoſita & ratificata fuerit, a Sacra Cæſarea Majeſtate de conſenſu ſtatuum Imperii & præcipue intereſſatorum, tradetur Epiſcopatus Halberſtadienſis, cum omnibus juribus, privilegiis, regalibus territoriis & bonis ſecularibus & Eccleſiaſticis quocunque nomine vocatis, nullo excepto, in perpetuum & immediatum

feudum

feudum: Conſtituatur idem Dominus Elector ſtatim in poſſeſsione ejusdem quieta & reali, eoque nomine ſeſsionem & votum in Comitiis imperii & Circulo inferioris Saxoniæ habeat: Religionem autem & bona Eccleſiaſtica in eo ſtatu relinquat, quemadmodum per Dominum Archiducem Leopoldum Guilielmum inita cum capitulo cathedrali pactione ordinata fuerant. Ita tamen, ut nihilominus Epiſcopatus Domino Electori, totique ſuæ domui & agnatis maſculis ſupra nominatis, cum eorum ſucceſſoribus hæredibus maſculis ordine, quo ſibi invicem ſuccedent, hæreditarius maneat, atque capitulo nullum jus in eligendo & poſtulando vel etiam regimine Epiſcopatus, & iis, quæ eo pertinent, reliquum ſit, ſed modo dictus Dominus Elector, & juxta ordinem ſucceſſorium reliqui ſupra nominati, ea poteſtate in hoc Epiſcopatu utantur, qua reliqui Principes Imperii in ſuis territoriis utuntur. Liceatque quartam partem Canonicatuum (excepta Præpoſitura in hanc computationem non numeranda) decedentibus ſucceſſu temporis modernis eorum poſſeſſoribus, Auguſtanæ Confeſsioni addictis, extinguere, eorumque reditus menſæ Epiſcopali incorporare. Quod ſi tot Canonici Auguſtanæ Confeſsionis non ſint, qui quartam partem totius corporis Canonicorum dempto Præpoſito, conficiant, numerus ſuppleatur ex Catholicorum decedentium beneficiis. Cum etiam Comitatus Hohenſteinienſis pro ea parte, qua feudum eſt Epiſcopatus Halberſtadienſis, conſiſtens in duabus Dynaſtiis ſive Præfecturis Lohra & Klettenberg & quibusdam oppidis, una cum eo pertinentibus bonis & juribus, poſt ultimo defunctum Comitem hujus familiæ, eidem Epiſcopatui applicatus atque a Domino Archi-Duce Leopoldo Guilielmo, tanquam Epiſcopo Halberſtadienſi hactenus poſſeſſus fuerit, hunc eundem Comitatum porro quoque penes iſtum Epiſcopatum irrevocabiliter permanere placuit, adeo ut Domino Electori tanquam hæreditario poſſeſſori jam dicti Epiſcopatus Halberſtadienſis de memorato comitatu diſponendi libera facultas eſſe debeat, non obſtante, nec vigorem habente ulla contradictione, quæ a quoquam in contrarium moveri poſſit. Teneatur idem Dominus Elector Comitem a Tattenbach in poſſeſsione comitatus Rheinſtein conſervare, eidemque inveſtituram a Domino Archi-Duce de conſenſu Capituli conceſſam, renovare. – ----
Ratione autem tituli conventum eſt, ut jam dictus Dominus Elector cum tota Domo Brandenburgica, & in ea omnes & ſinguli Marchiones Brandenburgici - ---- PRINCIPES HALBERSTADIENSES ---- appellentur & ſcribantur.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE